


05

A

2155





Σὺν Θεῷ

ΟΡΘΟΔΟΞΙΑ ΠΙΣΤΕΩΣ

hoc est,

ASSERTIO SANÆ DOCTRINÆ

DE

SALVIFICÆ FIDEI

QUIDDITATE,

Quam

CONSENSU

Venerandi DD. Theologorum Collegii

in celeberrimâ Witteberg. Academiâ

Sub

PRÆSIDIO

Viri plurimùm Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi

ac Præclarissimi,

Dn. JOHANNIS HÜLSEMANNI,

S.S. Theol. Doctoris ac Professoris in inclyta hâc

Academia eminentissimi, Dn. Præceptoris Fautoris ac Pa-

troni sui magni æternùm magnificiendi.

Publico Examine subicit

M. JACOBUS HACKMAN Otterndorpio Hadelens.

IN AUDITORIO MAIORI

d. 1. Augusti.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

Anno M DC XXXIX.

VIRIS

*Admodum Reverendis, Clarissimis, Prestantissi-
mis, Eximiis, Doctissimis,*

Dn. M. Johanni Turbano Pastori Hamburg. ad
D. Johannis,

Dn. M. Johanni Müllero Pastori Hamburg. ad
Spiritus S.

Dn. Jodoco Capellen } Hamb. ad Div. Cathar. verbi
Dn. M. Henrico Janichio } Ministris,

Dn. M. Danieli Arnoldo Scholæ Hamb. Con-
Rectori,

Dn. Georgio Barfænio apud Hamburg. Causa-
rum Patrono & civi primario.

*Dnn. Fautoribus & amicis suis
colendis*



Disputationem hanc Theologicam
declarandæ gratitudinis &
observantiæ g.

Dd. & offert

M. Jacobus Hackman. Otterndorpio. Hadel.
Autor. & Resp.

05 A 2155



Ue fit fidei dignitas simul atque necessitas, quæq; anima mala è contrario ejus defectum concomitantur, tenent cum primis quorum corda veritatis luce collustrata. Etenim qui iter in nocte conficere cupit, eum errare docet experientia: In hujus mundi nocte magis errare videntur, qui se Christianos opinantur, cum adhuc eos fidei lux lateat: Nam qui vivunt benè, moriantur beatè, ignorant planè, imò ipsum DEum. Fides quippe Dei cognitio est teste Cyrillo lib. 11. in Job. cap. 16. & ignotâ fide ignoratur ipse DEus: Unde non immeritò Chrysoftomo in Symbolo: Fides est lumen animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. Ut enim lampas, (ait idem in Matth. 25.) illuminat domum, ita fides animam. Quid E. (loquor cum Bernharo in Cantico) non inveniat fides? attingit immensa, apprehendit novissima; ipsam deniq; æternitatem suo illo justissimo sinu quodammodo circumcludit. Quare cum tanta fidei necessitas, ut eâ vacui salutis naufragium fecisse verè dicantur, ut August. Serm. 38. de tempore testatur, non injuriâ huic materiæ hac vice aliquid damus temporis. Solliciti autem potius erimus de thesæos veritate, quam ad-versariorum Strophis: Satius enim eas silentio spernere, quam fusè illas refutando complere pagellas. DEus qui fidei dator, conatui adesse velit cœlitus.

Cyrill. lib. 11. in Job. c. 16.

Aug. Sermon. 38. de Temp.

T H E S E S.

I. Sua equidem tenuitate videntur sordere quæ de ὀνοματο-λογία tradi consueverunt; at omnia poenè secula exemplo esse possunt, contemptum vocularum, earumq; ignorationem Ecclesiæ damnum dedisse, itaq; nec humilia despiciamus. Fidei vocem quod spectat, à fiendo originem trahere Cic. lib. 1. offic. dicit, cui & magni viri calculum dedisse videntur; Aliis arridet derivatio à fiendo; quicquid sit, hîc suo abundare poterit sensu quilibet: Vox verò græca πίστις Budæo notante à πείθο derivatur, quod idem ac suadendo doceo, suadeo, confido &c Actor. 19. v. 8. cap. 28. v. 23. Cujus tamen derivationem facere à rad. Heb. הִתְּנֵף quam facere videtur Pagninus in Lexico pag. 2267. & Mercerus in Gen. p. 220.

Ὀνοματο-λογία.

Fidei Ety- mol.

num conveniat, qui hebræa callent, videant; tantum quippe ab-
est, ut audiat bene semper, de quo in Scripturis ea dicitur, ut maxi-
mè ipsi detur aliquid vitii. Nam etsi *Gen. 9. v. 27.* in Hiphil יִפְתֹּחַ
quibusdam notet, quod DEUS aliquando posteris Japheti veris ra-
tionibus sit persuasurus, eosq; alleciturus quo habitent בְּאֹהֲלֵי-שֵׁם
in tentoriis Semi, id est Ecclesiam accedant: (Quanquam sint,
qui i. illud יִפְתֹּחַ non derivent à radice Heb. פָּתַח vel denotante
persuasionem; sicut vertunt *Dn. D. Gesnerus super Gen. pag. 239.*
D. Rungius p. 358. *Flacius in Clave Script. part. 1. pag. 1188. lin. 45.*
Pelargus in Genesim p. 212. & 214. *Schindl. in Lexico p. 1500.* *Tremill.*
in b. l. Piscator in notis lat. pag. 232. & 237. *Tossanus in observ. Germ.*
pag. 10. vel significante, modo tamen apud Hebræos inusitato,
dilationem ut explicant *Santes Pagninus in Lexico cum notis Mer-*
ceri p. 2271. בָּן apud *Stenob. Tom. 1. recog. V. T. pag. 121.* *Nicolaus*
Fullerus Miscell. Sac. lib. 2. cap. 4. p. 160. *Buxtorf. in Lexico pag. 623.*
Pareus in Comment. p. 920. *Dn. D. Gerb. in b. l. p. 250. & qu. 9. p. 253.*
Benedictus Pererius p. 390. *Mercerus p. 220.* Sed potius à rad. פָּתַח
aperuit, ut *Arias Montanus in radic. marginal. Munsterus in Lexico*
Hebraico Chaldaico p. 384. edit. anno 1523. in octavo, licet, ubi litera
פָּ maneat non videamus; vel etiam radice Chaldaicâ פָּתַח (no-
tante idem, quod, dilatavit, ap. *Johann. Buxtorf. jun. Lex. Chal-*
daico-Syriaco p. 462.) quemadmodum *Drusio* placet ad difficiliora
loca *Geneseos cap. 26. p. 41. 2.* qui verba illa: habitet in tentoriis
Semi, non referunt ad Japhetum, sed DEUM ipsum, hoc sensu: di-
latabit quidem Deus Japheto (sc. habitandi locum.) Sed habitabit
(Elohim) in tentoriis Semi, hoc est. sola posteritas Semi hac in re
erit beata (ex Semo enim nati sunt Judæi, ut ex illâ oriatur verus
Deus, Christus. Hunc in modum quoque *Paraphrastes Jonathan*
exponit (contra, quam putat *Schindlerus l. d. pag. 1500.*) dilatabit,
inquit, quidem Deus Japheto sed habitabit in tentoriis semi: sicut
verba hæc recensentur à *Nicolao Fullero* loco citato p. 165. Nec
absimilis est *Onkelos*, qui ex versione *Benedicti Ariæ Montani* apud
B. Gesnerum in comment. super Genes. p. 205. & Gerb. in Gen. qu. 10.
pag. 253. Verba Hebraica sic circumscribit: Dilatet Deus Japhet:
& habitet gloria ejus in tabernaculis Sem. Huic explicationi con-
senti-

sentiunt Dn. D. Glassius *ὄνομαζῶν. sac. class. 1. n. 3. pag. 22. 23. Nicol. Fuller. miscel. lib. 2. per totum c. 4. imprimis pag. 165. Mercerus in Commentar. p. 220. B. & E. eam maximè probat (verba sunt Pererii in h. l. p. 390. n. 188.) Theodoretus q. 58. in Gen. p. 16, nec ea displicet Lyrano, Burgensi, & Tostato; (quamvis refutetur à Pererio d. l. n. 189. & Cajetano;) non raro tamen decipiendi significationem habere, attestantur loca Scripturæ, à Schindlero annotata in Lexico p. 1500. Deut. 11. v. 16. Job. 31. v. 27. Job. 31. v. 9. & derivata פתיו & פתיות. Taceo literarum transpositionem.*

II. Hebræa vox אֱמוּנָה quâ fides exprimitur non modo secundum usum Scripturæ, sed etiam testimonium אֱמֶן & Symbolum Judæorum quod vid. ap. Schindl. in Lexico p. 90, emphatica est, siquidem radix אֱמֶן cui originem suam debet nomen fidei Hebraicum, de eo ut plurimum usurpatur, qui fidelis, certus, constans & perpetuus semper vel fuit vel perseveravit. Itaq; ex vi derivationis jam dudum est manifestum, fidem non per dubitationem quandam Pontificiorum, sed firmissimam fiduciam esse describendam. Et si autoritate in Hebraicis egregiè expertorum niti liceret, quibus probari posset אֱמוּנָה & alterum אֱמֶן significationem, quæ nutrire & pascere notat, participare, facile hinc conjiceremus effectum veræ & salvificæ fidei, qui est; animam spiritualiter pascere, & nutrire, ut mox in thes. subseq. iv. ex Joh. 4. & 6. capitibus planum fiet.

III. Acceptiones fidei in Scripturis occurrunt variæ: vel enim 1. notat nudam Scripturæ notitiam, quâ irrogeniti & Diaboli imbuti esse possunt. Jac. 2. v. 19. Marc. 5. v. 7. Luc. 8. v. 28. Act. 19. v. 15. 2. Vel doctrinæ Evangelicæ professionem & assensum, Act. 8. v. 13. 3. Vel immotam misericordiæ Dei innitentem fiduciam, quæ per verbum & sacramenta ordinariè in cordibus credentium generatur; quo sensu non modo hinc inde in S. Scriptura accipitur, sed nec defunt exempla apud prophanos, quibus hæc significatio probetur, teste Chemnitio Tom. 2. l. c. pag. 256. & Budæo in Lexico de hac voce. Hoc notato in proclivi est Bellarmini errorem perspicere, qui fidem Historicam cum justificante turpiter confundit, non animadvertens insigne discrimen, quod partim objectum,

Acceptio-
nes Fidei
1. Notitiæ
significat.
2.
assensum.
3.
fiduciam.

A. 3)

partim.

4.
constan-
tiam.

5.
donum mi-
raculorū.

1. Fid. mi-
raculosa.

2.
Generalis
& Histo-
rica.

3.
Specialis
& salvifi-
ca.

4.
Distincti-
ones qua-
les.

Synonym.

partim subjectum monstrat. 4. *Vel constantiam in dictis & factis*, & tribuitur cum homini tum Deo Psal. 33. v. 4. Hof. 5. v. 9. (licet diversæ loci hujus sint explicationes apud Interpretes vid. Castro. in h. l. p. 125.) Rom. 3. v. 3. *Vel 5. miraculorum donum*, Matth. 17. v. 20. 1. Cor. 13. v. 2, quæ acceptiones, (omnes enim enumerare, nostri jam non est instituti, Consul. Lang. in Polyanth. pag. 423.) varias distinctiones suppeditant, ut *fides sit vel miraculosa*, quæ malè eadem esse dicitur cum justificante, uti *Bellarmin.* autumat lib. 1. c. 8. de justif. Nam 1. hoc donum fuit extraordinarium, 2. Temporale, 3. Paucis datum, 4. Sine illâ fide ut plurimum salus datur, horum verò neutrum de justificante dici potest. *Vel Generalis & Historica*, non quatenus circa historias biblicas versatur, sed quia vera esse cognoscit in genere, quæ in Scripturis consignata. Ea propter ejus objectum est verbum Dei, de qua fide *Jacobus* loco paulò ante citato c. 2, 19. agit, non verò salvificâ contra *Bellarmin.* lib. 1. c. 15. de justif. Et hæc distinctiones meritò notandæ sunt, ut eludere valeamus calumnias adversariorum, qui nescio cujus vanitatis nos accusant, quasi talem fidem propugnaremus, quæ unicum duntaxat respiceret articulum Christianæ Religionis; Nam quamvis objectum fidei statuatur, misericordia Dei in Christum, id tamen de *speciali & salvificâ* intelligimus fide in actu justificationis consideratâ. Siquidem *Fides* non quatenus scientia est & objectum habet qualecunque verbum Dei, sed quatenus apprehendit meritum Christi, justificat. Circa quas tamen *distinctiones* hoc observari volumus, easdem esse non tam rei, quam nominis. Alioquin apud *Pistorium in Hodoget. p. 115. & 206.* alia quidem adhuc datur distinctio inter *fidei actum immeritorium, & habitum fidei meritorium.* Sed cum sit Scripturæ incognita, tum Patribus, itaq; quâ facilitate profertur, vicissim rejicitur.

I V. Fidei Synonyma sunt *ἰάρεσθαι* Job. 6. v. ult. *πληροφωρία, παρρησία, πεποίθησις, κατάληψις, λήψις τῆς χάριτος, ὑπόστασις ἐλπίζουμένων.* Itaq; & æquivalent hæc verbales locutiones, fidere Deo, confidere, fiduciam in Deum ponere, credere, servare sermonem Christi Job. 8. v. 51. & 14. v. 23. Venire ad patrem, & per Metaph. locutionem, comedere, bibere, saturari, *Johan. 6. & cap. 4. facere voluntatem Dei Job. 6. frustra E. ex his Phrasibus.*

Pisto-

Pistorius in *Hodoget. pap. 199.* meritum operum astruere conatur.

V. Quidditatem Fidei quod concernit, variè ea quidem tractatur, sed imperfectè valdè, non modo apud Scholasticos, qui fidem duntaxat per assensum definiunt, quasi sit nihil aliud, quam habitus mentis infusus, quo intellectus firmiter assentiatur omnibus quæ à Deo revelata; sed & Patres ejusmodi descriptiones habere, nostrates de monstrant; quæ tamen benignâ interpretatione molliendæ magis, quam planè rejiciendæ, si quidem dubio procul, de generali solum & dogmatica locuti sunt. Reperiuntur etiam quædam descriptiones Etymologicæ, nonnullæ loquuntur de fructibus & affectibus, quibus fidem adesse vivam & veram conjicitur. Sociniani Fidem per assensum & obedientiam definiunt: Et enim quam fidem esse fiduciam in Christum firmam aliquando tradant, subdolè tamen agunt & non intelligunt fiduciam, quæ nitatur plenâ & perfectâ solutione pro peccatis, nam neque satisfactionem neque Christi meritum agnoscunt, cum id exemplare modò, non satisfactorium esse comminiscuntur. Eos autem fiduciam in Christum ponere ajunt, qui credunt Deum prestituram esse quæ promiserit & iis benefacturam qui ipsi obediunt. Instas? Sed quomodo sic Fides terminativè in Christum fertur, cum in hac descriptione ejus plane nulla fiat mentio? Respondent, & banc fidem jure merito ad Christum referri, partim quia Deus per Christum tanquam Legatum ea beneficia nobis promisit, partim quia fidem per Christum in nobis operatur, ita Osterod. in *Instit. c. 2. p. 20. Soc. part. 4. cap. 11. p. 386. de Servatore.* Imò duplicem constituunt fidem, aliter enim in Deum, aliter in Christum credere asseverant. Sic enim expressè *Cateches. Rackov. p. 143.* inquit: *Christus eam fidem in totum sibi non arrogat, quam Deo debemus, ideo dixit, Job. 12. v. 44. Qui credit in me, non credit in me sed in eum qui me misit: & idem testatum Petrum opinantur, quando inquit: Per eum creditis in Deum, 1. Epist. cap. 1. v. 21.* Sed hanc ignorat distinctionem fidei Scriptura, quippe unam profitetur *Eph. 4. v. 5.* non E. una est, quæ directè tendit in Deum, altera quæ ad Deum per indirectum dirigatur: Cum honoremus filium eâ adoratione quâ Patrem *Job. 5. v. 23.* Locus verò *Johannis* potius pro nobis: Hoc enim ibidem doceri

Definitio
Fidei Patrum & Scholasticorum.

Photinianorum Definitio.

In Christum credere quid Photinianis?

doceri manifestum est, illos non in merum hominem credere, qui in Christum credunt, ut mox subjicit, v. 45. ipse servator, quando ait: *Qui me videt, eum videt, qui me misit*; Ex quibus verbis patet, hunc locum vel potius particulam negativam, non esse exclusivè, sed potius comparativè intelligendam, h. s. *qui in me credit non (sub. solum) in me credit.* Hunc enim sensum suppeditat subdita ratio; quia qui me videt, etiam videt eum qui me misit. Conferatur Marc. 9. 37. & Calixt. in h. l. Sed quare hanc fixerit Adversarii distinctionem, conjici non operosum est, cum Christo divinitatem derogent: sed de hoc infra pluribus.

*Fidei sal-
vifica De-
scriptio or-
thodoxo-
rum.*

VI. Nos ex Scripturâ Fidem ita definimus: *Quod non sit modò Historica tantum verbi divini notitia, vel simplex & generalis assensus, quò statuimus quæ de Christo ejusq; beneficiis in Verbo Dei proferuntur, vera esse. Sed in Christum certa & indubitata ad nos ipsos factâ beneficiorum Christi applicatione, singularis fiducia, que non ex nostris viribus oritur, sed in corde à Deo accenditur per promissiones gratiæ, iisq; alitur, atque per Spiritum S., preces & usum Sacramentorum confirmatur; conscientiam tranquillam, remissionem peccatorum affert, & in bono hominem confirmat, & ad vitam æternam obfignat.*

*Fidei con-
sideratio
duplex,*

VII. In qua Definitione hoc maximè notandum ducimus, fidem sortiri duplicem considerationem, vel enim *ratione formalitatis, vel actuum & exercitiorum, seu ratione materialis* illa pensanda: *hujus notitiam assensum & fiduciam includit, illius ratione solum fiduciam.* Ubi obloquentes tum Pontificios tum Photinianos habent orthodoxi, hos quo ad posterius, illos quod ad utrumque. Siquidem Bellarm. lib. 1. de justif. c. 4. *Fidem* definiri satius existimat per ignorantiam quam notitiam idq; eò, ut Scholasticorum somnium tueatur, qui aliquem posse credere sunt arbitrati, etsi eorum quæ credit, non habeat notitiam, unde Lombardi nata Distinctio, inter fidem implicitam & explicitam lib. 3. Sent. dist. 24. quæ tamen sanctis Patribus immeritò adscribitur: cum fidem versari circa res arcanas & incognitas quæ nesciantur magis quam intelligantur, dixerint: Nam hoc comparatè locutos, verisimilius est, ratione nempe modi cognitionis, qui latet ad principia Philosophica, non ratione rei, quæ ex revelatione respectu existentia, scitur.

*Quomo-
do Patres
Dist. inter
fid. impli-
citã & ex-
plicitã in-
tellexerint*

VIII. Contendit cap. 7. dicti libri Bellarm. probare suam *Bell. fidem*
 opinionem ex eo, quod Fides sit ad cognitionem via, secundum *nō esse co-*
 locum Esa. 7. v. 9. *Sinon credideritis non intelligetis.* Unde con- *gnitionem*
 cluditur. *Quodcunque est apparatus ad cognitionem, id ab eā di-* *probare*
stingui necessum est: & conseq. quod ab aliquo distinguitur, ejus à *contendit.*
quo distingui dicitur, quidditas vel formale esse nequit. Atqui fides
à notitiā mysteriorum distinguitur ut ex Esa. & 1. Corin. 12. v. 8. 9. &
13. v. 2. patet. E.

Cæterum tantum abest ut Scriptura à parte stet Adversarii, *Vera the-*
 quin potius isti expressè contrariatur, cum fidem scientiam vocat *seos pro-*
 Esa. 53. v. 11. (ubi rectè legit in scientiā sui, non modo Lutherus, *batio.*
 sed & Pagninus, Cornelius à Lapide, Vatablus, Sanchez, קרר; nec
 repudiant hanc lectionem vid. Sanctius in h. l. p. 563.) & Hebr. 11.
 v. 3. *Fide intelligimus aptata esse secula & Rom. 16. v. 25. 27. Fides no-*
titia mysteriorum dicitur 1. Tim. 2. agnitio veritatis appellatur. Ta-
ceo, quod fideles caveant sibi à falsā doctrinā Matth. 7. v. 15. digno-
scant vocem pastoris sui à voce mercenarii, Joh. 10. v. 4. & Spiritus
proben, num ex Deo sint 1. Joh. 4. v. 1. Num autem hæc fieri pos-
sint ab ignorante, judicet qui falem habet. Fugere enim à pseu-
doprophetis & alieni non sectari dogma, sine cognitione veri im-
possibile est.

IX. Bellarmini verò objectiunculas quod spectat, de facile *Respon. ad*
 refutari possunt. Non dicam ipsi Costerum contradicere, qui in *Bell. argu-*
 quit: *Quæ fide tenemus, certissimè cognoscimus longè etiam certius* *menta*
quam eas res quæ sensu percipiuntur; Nec verba faciam de Cate- *1. Contra-*
chismo Romano part. 1. c. 1. in Resp. ad q. 1. dicente: Fidem cogni- *dicit Coste-*
tionem Dei esse. Hoc saltem urgeo Bellarminum Bellarmino non *ro Enchir.*
constare. Nam: *c. 4. p. 170.*
2. Confessi-

Cujus proprium est plenissimè scire & pro certo habere aliquid, *oni Papi-*
illud non in ignorantia consistere potest, nisi Adversarius concedat: *starum.*
Terram immobilem quotidie versus 4. mundi plagas motu circulari *3. Sibi ipse,*
impelli: Jam verò prius membrum datae positionis de Fide ipse asserit,
lib. 1. de justif. cap. 2. E.

In primis quod Scripturæ loca cōcernit, Bellarmino fraudi fuit *Resp. ad*
 versio latina: Etenim id plane non habetur in textu, quod disputat *Loc. Es. 7. 9*
 Adversarius. In Esaia sic legitur *אִם לֹא תִאֱמִינוּ כִּי לֹא תִאֱמִנוּ*
 B *si non*

si non creditis, certè (Esse enim hic non causalitatis sed certitudinis fatentur plurimi Interpretes) non manebitis. Montanus: si non credatis (verbis meis) quia non eritis stabiles (fideles). Hieronym. T. 5. oper. fol. 15. B. Si non credideritis non permanebitis. Ita & Symmachus apud eum. Sensus E. est, vos non permanebitis (verba sunt Hieronymi l. d.) in regno vestro: sed in captivitatem ducemini, sustinentes eorum pœnas, quorum imitati estis infidelitatem. At LXX ita reddunt ἂν μὴ σὺν ἡμῖν, non intelligatis. Quid dum Bellarmine? Una certè (inquit Steuchus Bibliothecarius Pontificius in Gen. c. 11. v. 3. pag. 122 B) intelligendarum sacrarum literarum ratio est, si quis Hebraeis loquendi mos est, non ignoretur. Ubi jam quæso, ἂν intelligere notat? Certum esse quidem, & credentem, nunquam cognoscentem. Sed audiatur Sanctius pag. 94. n. 20. Quicquid sit de translatione LXX dicam nunc, quod juxta translationem nostram videtur magis permotum S. Hieronym. quem sequitur Thomas, Haym. Hugo, & plures alii sic exponunt: Si non fidem adhibebitis meis verbis, quibus salutem vobis & libertatem; Samaria ac Syria vastitatem denuncio, non eritis stabiles in regno sed in captivitatem ducemini: Quæ explicatio omninò mihi placet. Hæc ille. Hæc & nobis placet.

*Resp. ad
los. 1. Cor.
12. v. 13.*

X. Num meliore intelligentiâ testimonia Apostoli produxerit, qui claritatem textus aspicit, deprehendit: agit enim Apostolus de donis Spiritus Sancti ob quæ Corinthios contendere & superbire non conveniret, aliis enim datum esse hoc, aliis aliud; itaq; potius per caritatem ad commoda Ecclesiæ dona impendant. Excipis? manet tamen hoc, in allegatis locis fidem à cognitione distingui. *Resp. Intelligitur fides (verba sunt celeberrimi Theologi in b. l. B. Balduini pag 6, 6.) non illa salvifica, quæ omnibus verè Christianis communis est, sed miraculosa, quæ quondam in primitivâ Ecclesiâ variis in rebus se exeruit, hodiè autem in iis requiritur, quæ magnâ animi fiduciâ in rebus dubis Deo adherent, ubi alii, qui hanc fidem non habent, præ angustia animi trepidant & exoptatum rerum successum & eventum sibi polliceri non possunt. Idem repetitur pag. 638. & pag. 684. Estius quoque Pontificius autor, dicit*

dicat eam intelligi fidem, quam *Cajetanus docet: Fidem non credendorum, sed agendorum & patratorum miraculorum*, quam *Græci fidem signorum & miraculorum appellant* conf. pag. 353. Videantur & verba *Chrylost.* apud *Paræum* in h. l. fol. 809. D. nec absimilia traduntur pag. 816. C. Ficulneum E. præsidium est, quo se tueri *Bellarmin.* laborat: Deinde *disting.* inter *notitiam evidentiam & certitudinis*, inter *cognitionem αὐθεντικῆν καὶ ἀπονητικῆν*, vel inter *γνώσιν καὶ ὁμοιωτικῆν*. Quanquam hæc fidei derogetur, non tamen verum statim, quod *Bellarmin.* nectit. Intelligimus itaq; per *notitiam*, thesi sexta, *non conclusionum scientiam accuratam per Apodixeos mediam ex principiis per se notis acquisitam*, quippe supernaturale fidei objectum assequi vel e rationis naturali lumine, est contradicere *Apostolo* 1. *Corinth.* 2. & ratione ad insaniam abuti, sed *opponimus crasse ignorantia & fidei implicitæ* quæ pecudum stupori potius quam Christianorum convenit institutioni.

XI. *Secundum fidei actum, consensum*, lubenter concedunt *Papicolæ*, arbitantes fidei *ἁπλοῦς* in eo consistere. Verum eo ipso proprio se gladio jugulari non animadvertunt: Nam sic in fumum abit fidei *disting.* in *implicitam & explicitam*. Quippe quibus assentimur, eorum cognitionem habere necessum est: Assentiri solemus, quia rem veram esse judicamus: Judicium verò cognitionem rei dijudicandæ præsupponit; alioquin cæcum. Est autem ille *assensus nihil aliud quam actus, quo ea vera censemus, quæ in Sacris Deus per Prophetas & Apostolos literarum monumentis consignari curavit atque jussit*: In cujus descriptione fidei *Historicæ* objectum, nempe *ἡ πίστις ἡ ἀληθινή* monstratur; (Est enim ea infallibile, immediatum & non aliunde, sed per se ratum primum principium) Nihil ergò hic, quod autoritate divinâ gaudet, sive doctrinam concernat, sive res gestas contineat, eliminetur, contra quod errasse videntur non pauci, qui conscientia non officere statuant, si aliquis *Scripturæ* libris omnibus non subscriberet, contentaq; vera esse omnia crederet: Sic teste *Epiphano Sadducei* omnes libros *Biblicos* *Mose* excepto repudiabant, unde & errorem eorum de resurrectione *Salvator* refutare voluit ex *Mose*. Et

Fidei actus secundus assensus.

Quid ille assensus.

Generale obj. fidei Histor. est Verbū Dei. Quod.

Impugnatur quibusdam libris autor. divinam derogando.

Irenaeus refert lib. 1. c. 26. Ebionitas præter Matthæum, ceteris Evangelistis non dedisse fidem: E contrario Cerdoniani & Marcion explodebant omnes Evangelistas, excepto Luca, cui alii quot addebant Pauli Epistolas, teste Tertulliano de præscript. in fine. Nec desunt adhuc ex seculi hominibus, qui sufficere ajunt in Christum credere, licet multis, quæ quasi fabulam in Scripturâ redolent, aut jocum præ se ferrent, non adderetur calculus.

2.
Traditiones humanas eidem affricado.

De Traditionis auctoritate non integrum est disputare apud Papistas.

Speciale fidei historicæ objectum sunt dogmata.

Unde articuli proponuntur.

1.
Nō ex traditionibus uti Papistæ volunt.

XII. Notanter verò dicitur, quod Fides eorum sit assensus, quæ in Scriptura consignata. Nam doctas fabulas non sequimur, cum firmiorem habeamus sermonem Propheticum 2. Pet. 1. Qui Papistarum dogmati non subscribunt, æquè traditionibus assensum esse dandum, illos Patricii Concilii Tridentini Sess. 4. decret. 1. anathematis feriunt fulmine. Ex quo Jesuitarum Thesis: *Quæ sub Titulo traditionum proponuntur, eadem fide credenda, ac ea, quæ in Scripturâ habentur.* Neque enim post tot Concilia de Traditionibus amplius disputandum censent, quod verè apostolica videantur: Canisius in opere Catechetico pag. 124. & 126. & Hofius pro tripode se sedere putans, insigne consilium suo exsculpsit cerebro, dum id, quod Plato lib. 1. de Legib. ad suas accommodat traditiones, consilium largitur, ut lex feratur, quæ omnes obligentur, ne quis querat an rectè an secus se habeant traditiones, à quo Bellarm. ne latum pilum discedit lib 4 c. 4. & 5. de Verbo Dei non scripto.

XIII. Verum ejusmodi reverentiam, qualis Scripturæ debetur, traditionibus deferendam non esse, urget evidens ratio. Nam etsi libenter largiamur, quasdam Romanensium traditiones, quas cum Catholica Ecclesia communes habent, non simpliciter rejiciendas, non tamen eundem merentur cum Scripturâ assensum, cum iisdem non propter se credatur. Sed hæc ex professione in loco de Scripturâ tradi consueverunt. Alterum verò speciale fidei historicæ objectum constituimus articulos seu fidei dogmata, quæ sunt nihil aliud, quam *peculiaris doctrinae Christianæ capita*, quorum cognitio non nisi ex verbo Dei scripto cum V. tum N. T. quanquam non semper κατὰ τὴν λέξιν seu ῥητὸν. attamen secundum bonam consequent hauritur, quod partim Photiniano-rum vesaniam, partim Papistarum retundit nœnias. Hi enim
extra-

ex traditionibus quosdam articulos fidei, & unicè quidem probandos esse asserunt: Siquidem *Bellarmin. lib. 4. de V. D. non scripto c. 3.* inquit: *Nos asserimus, non contineri expressè in scripturis totam doctrinam necessariam, sive de fide sive de moribus, ac proinde requiri verbum non scriptum, traditiones:* Quod Andradium movisse videtur ut, cum Transubstantionis dogma ex scripturis se probare non posse videret, illud ad istas res, quæ nullis scripturæ fundamentis apertè definitæ & explicatæ sunt retulerit: Quod tamen scripturam apertè imperfectionis arguit, quam ipsi citra blasphemiam tribui non posse asserimus. Nam quod neq; additionem neque detractionem ratione dogmatum patitur, id & eorum respectu perfectum sit necessum est: prius autem edocemur à Mose Deut. 12. 33.

XIV. Photiniani eum non esse fidei articulum ajunt, qui non literaliter contineatur in sacris, eo quod scripturæ in huic finem sint conscriptæ, ut quid necessarium sit ad salutem, omnibus & singulis expressè constaret, sicut (verba refero *Stegmanni disp. 2. Photin. q. 5. p. 29.*) loquitur *Smalc. in Refut. Disp. Gravv. de Sp. S. Dein V. T. fidei Christianæ articulum non probare sed tantum illustrare opinantur.* Hinc *Faustus Socinus tract. de S. Scrip. autor. c. 1. p. 36.* scribit: *Utilis quidem ob plures causas est lectio V. Test. ijs, qui Novum recipiunt, i. e. hominibus Christianæ religionis, sed non tamen necessaria.* *Balduinus refut. Catech. Rakov. artic. 1. p. 5.* Verum traditi præcepti mox obliviscuntur, quod in *Smalcio* cum primis videre est, qui *Disp. 7. cont. Frantz.* inquit: *Jesus jure dicere poterat, id dictum esse (odio habebis inimicum) quia sensus horum verborum in lege inerat.* Ubi ad *δικαίωμα* recurrere in probatione nititur. Nihil dicam jam de religione Photinianorum ipsa: Ubi enim literaliter extat: Christum esse Deum ratione officij, quod tamen credendum esse statuunt? Ubi literaliter extat, Deum misereri hominum iisque condonare peccata sine intercedente *λύτρω* Messia? Ubi porro legitur: fidem esse obedientiam? Taceo sexcenta alia: Nostra vero sententia vel unico exemplo Christi sat est clara, qui ex consequ. articulum de resurrectione probat & quidem ex *V. T. Matth. 22, 32 B. Balduinus refutat Catech. Rakov. art. 1. p. 3.* quo pertinet & praxis, suo Magistro

succenturiantium Apostolorum, qui sæpissimè suas confirmant doctrinas ex Veteri Fœdere. Sed quid dicent *Photiniani* ad locum Novi ipsi authenticæ Testamenti Joh. 5. 39. Ibi certè jubentur Pharisei ἐρευνᾶν i. e. non nudè legere scripturam, sed indagare, diligentissimè inquirere, sicut vocis significatio genuina per metaphoram, vel à canibus venatitiis vel metallorum fossoribus, secundum *Chrysostr.* & *August.* desumpta, edocet in articulos fidei, & quidem non scripturam N. Testamenti, utpote tunc nondum extantem, sed Veteris, ut ipsis notam. Fatemur equidem majorem esse lucem in N. T. inde tamen non sequitur: E dogmata planè non probantur ex V. T. *Stegm.* disput. 2. qu. 6. d. 1 pag. 30. *Bald.* d. 1. p. 11.

Actus tertius fidei fiducia quæ ejus formale.

XV. Jam sequitur *actus fidei tertius qui in filiali consistit fiduciâ & quidem singulari*, objectum habente misericordiam Dei, merito & satisfactione Christi partam: quæ fiducia formale est veri Christiani, & justificationis causa instrumentalis, non quatenus qualitatis & operis rationem habet, sed quat. in *ἑσέει* ad aliud consistit: eo ipso tamen dum ad duas refertur Categorias, non sequitur, duas unius rei nos concedere formas: Etenim Relatio ὅτι εἶναι rerum non mutat: Sic justitiam absolutè consideratam qualitatem esse dixerit quilibet, & tamen quando ad proximum refertur, respectum notare in propatulo est: Ita & cum fide comparatum.

Contra hunc actum peccant.

I.

Photiniani.

Fidem non esse fiduciam in Christum probantur Smalcus & alij.

XVI. Hanc fiduciam vicissim sugillant cum Patres Tridentini & Jesuitæ, tum Sociniani, quibus hujus fiduciæ objectum merum commentum esse videtur; Nec mirandum; si enim hi posteriores eò impudentiæ progressi, ut ἀντιλύτρωσιν inficiari sint ausi, cur non ipsis improbetur illa fiducia? Attamen ne ἀθεολόγως audiant egisse, (quod ipsis alias non est infrequens: Nam plerumque destruunt, rarò extruunt, hoc est, ad nostra argumenta semper quidem excipiunt, suam vero fidem rarò stabiliunt) producant quædam scripturæ loca, quibus suam opinionem satagunt probare, videl. fidem non talem esse fiduciam, uti à nobis est descripta: Quorum non infimum locum tenet ex *Ep. Heb. 11. c.* adductum quod *Smalcus in Refutat. Thes. Frantzij* p. 204. thes. 116. imprimis urget inquires: *In toto capite exempla sanctorum proponuntur, at in omnibus & singulis aliud nihil commendatur, quam quod*

quod Deo, quem noverant, sub spe promissionum illius, ejusdemq; pra-
ceptis obediverint. Ergo etiam Dei praecipis sub spe promissionum il-
lius obedire, est vera fides in Christum. Addit ulterius hanc ratio-
nem: In V. T. in Christum Patres credere non potuerunt, quia cre-
didissent antequam Christus natus fuit Pag. 207. sententiam suam
concludit hoc argumento: Fidei exemplar est Christus secundum
Paulum Heb. 12, 2, is vero longè alio modo nos Deo confidere docuit,
& ipse etiam Deo est confisus, quia omnes ante eum sancti; sicut Fran-
tzius contra Smalcium disp. 7. §. 155. 161. 163. verba Smalcij re-
fert.

XVII. Verum hæc quæcunq; sint argumenta non in frin-
gunt thesin nostram: Nam partim concludunt ex ignoracione
Elenchi q. in Christum in V. T. nemo crediderit, partim fidem
cum suis actibus seu exercitiis, quæ probè distinguenda, con-
fundit; Fatemur equidem credentem habere; imò nos requirimus
in eo fiduciam de auxilio Dei, patientiam, constantiam humili-
tatem; ast hæc virtutes non sunt ipsius fidei salvificæ esse & formale;
eum hoc ab illis, tanquam causam ab effectibus, discerni docet
Scriptura: Locus vero ex Ep. ad Heb. uti ex omnibus Interpreta-
tionis legitimis requisitis patescit hinc non facit; Siquidem in eo
non traditur plena fidei justificantis definitio, sed una insignis saltem
proprietas videlicet perseverantissima constantia & constantissima
perseverantia, inquit Frantz. d. 1. §. 156 quod & inculcat §. 127.
Hic est geminus Scopus hujus capituli, quod patet ex conclusione
subditâ c. 12, 1. observante Pareo in h. l. p. 553, 617. 625. Itaque
nec meriti Christi Apostolus facit mentionem. Jam vero aliud
est fidem depingere, prout justificat, in relatione respiciens Christum,
& aliud, quando consideratur ut virtus & fiducia generalis seu ra-
tione exercitiorum, quanquam & in iis prærequiratur apprehensio
meriti Christi, cum in ipso omnes promissiones vasa v. 2. Cor.
1. v. 20. Deinde Patres, ij ipsi quorum adducuntur exempla, Chri-
stum respexisse eumq; cognovisse, evidentia Textus facile evincit.
Nam e. g. Moses elegisse dicitur v. 26. cum populo afflictionem,
Christique opprobrium, (h. e. ignominiam, quam in ara crucis
perpessus erat, sicut ex voce *ὀνειδέσθαι* hoc demonstrat Frantz.
allegato loco §. 116. & §. 117. vindicat adversus ineptias Smalcij,
nebu-

I.

Quia cre-
dere est
praecipis
Dei obedi-
re.

2.

Quia Fi-
dei dux &
consumma-
tor Chri-
stus.

Resp. ad

Obj.

Dist. inter
fidem &
ejus exer-
citio.

Scopus cap-
ituli ad Heb.

Patres V.
T. respexif-
se meritū
Christi
probatum.

nebulam effundentis claritati textus: & Enjedini §. 123. ad 126.) prætulisse divitiis Ægyptiorum, & quid clarius loco, (quem annotat sæpe laudatus B. Franz. §. 166.) Joh. 5.46. Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, ἢ εἰ ἐμὲ ἐκείνῳ ἐγχαΐεν Sic Enocho aditus ad coelos factus; Quod non nisi per Christum contingere alia Scripturæ monstrant oracula. Conferatur Frantzius contra Smalcium initio disputat de Justificat.

3. *Fidem debere personæ non personæ merito, sed falsò.* XVIII. Dum vero Adversarij Socinus de Servatore part. 4. c. 11. & Smalc. contra Frantz. disp. 12. *Fidem personæ quidem nos debere, non ejusdem merito,* dicunt, graviter errant, oppositionemque comminiscuntur ubi nulla est. Nam fidem ὡς πῶτος personæ debere non inficiamur, non tamen sequitur, E. nullo modo merito personæ. Siquidem aliter captivorum docet conditio, nam hi (verba sunt Stegmanni disp. 39. q. 4 pag. 638.) de redemptione per λύτρον factâ certam fiduciam concipiunt & in redemptionem & in ipsam solutionem sc. redemptionis precium, in illam ὡς πῶτος in hoc δευτέρως seu medium, per quod persona liberata redemptionem impetravit. Ita & nobis cum comparatum esse videmus: Justificati gratis ipsius gratia per redemptionem quæ in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. Idem inculcat exemplum Abrahæ Rom. 4. v. 3. qui credidit ἡγὰρ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην, Fides autem ejus respexit sanguinem Christi c. 3. Rom. v. 25. redemptionem v. 24. cap. eodem. Unde concluditur cum Hunnio refut. Photin. Sect. 3. c. 4. err. 8. n. 98. p. 435.
1. *Probatur Simili.* *Ab objecto fidei Abrahæ.* 2. *Ab objecto fidei Abrahæ.*

Quod objectum fuit fidei Abrahæ illud est fidei justificantis objectum.

Atqui meritum, mors & redemptio Christi fuit objectum fidei Abrahami. E.

Minaces magis, quam pugnaces copias quas Socinus lib. 4. de Serv. c. 4. Smalc. disp. 3. cont. Frantz. & c. adversus horum dictorum veritatem, in aciem producunt, fugatas, cæsas ad satietatem, & victas reperies ap. B. Frantzius disp. 5. §. 51. 52. disp. 7. §. 131. & seqq. Dn. D. Hunnium refut. Photinian. l. 3. c. 5. err. 9. n. 111. 112. p. 561. Stegm. disp. 35. qu. 1. obj. 1. qu. 2. & qu. 3. à p. 562. ad 274. quos Studiosus Lector. consulere potest. Huc accedit: Christum suo

fuo patri satisfecisse, propterea ut peccata, illud credentibus re-
mitterentur.

Unde argumentor.

Si Christus patri suo satisfecit & ob id peccata remittuntur, sequitur fidem, quae peccatorum veniam consequitur, apprehendere satisfactionem tanquam objectum. Sed verum prius. Nam Christus vitam suam dedit λύτρον, αντίλυτρον pro nobis Matth. 20. v. 28. Sanguinem effudit in remissionem peccatorum Matth. 26. v. 28. & ὑπὲρ ἡμῶν mortuus est. 1. Thess. 5. v. 10. Imò quid significantius dici potest ac illud Johannis 1. Ep. 2. v. 2. c. 4. v. 10. ubi ἰλασμός pro peccatis dicitur, & ἰλασθῆμεν Rom. 3. v. 25? Quae quidem Photiniani, ut Smalcus contra Frantzium fol. 138. aliter explicare solent, sc. ut Pro nobis non sit: vice nostrâ, sed propter nos, id est, commodum nostrum, uti id ex 1. Joh. 3. v. 16. Col. 1. v. 24. astruere conantur, adeoque dati Syllogismi prius membrum negant. Verum status controversiae pervertitur: Non enim est quaestio in genere; An praepositio PRO aliquando significet causam finalem sc. utilitatem, observante Siegmanno disp. 23. qu. 6. p. 380. 381. sed quando de morte & passione Christi usurpatur illa formula, PRO NOBIS, num ne notet: vice nostrâ? adeo ut sensus sit: Christus pro nobis dedit vitam i. e. vice nostrâ mortuus; quod nos volumus: nam αντί expressè reperitur Matth. 20. Quae particula permutationem notat, ubi unum pro altero ponitur Matth. 5. v. 38. Luc. 11. v. 11. Joh. 1. v. 16. Rom. 12. vers. 17. 1. Thess. 5. vers. 15. vid. Frantz. cont. Smalcium de justif. l. 9. quaest. 5. § 140. Hugo Grotius de Satisfact. Chr. cap. 1. quaest. 3. 4. Taceamus & ὑπὲρ 1. Joh. 3. non modo exponi posse in commodum fratrum, sed etiam vice fratrum; sicut ap. Esthium in h. l. p. 1276. presbiter quidam obtruncandum se obtulit pro Diacono, & Mureto Orat. 1. notante Pythagoricus quidam in causâ capitis pro altero. Confer. Drusius obser. l. 3. c. 17. Præterimus dictum col. 1. 24.

XIX. Tacemus insuper illud Joh. 11. v. 50. Ut Caiphas de Christi passione vaticinans, expedire inquit: Ut unus pro populo ὑπὲρ ἅδ λαὸν moriatur, & non pereat gens tota, ubi ἵδ pro Populo, pro loco Populi, explicandum esse subsequencia monstrant. Hoc

C

dunta.

3.
A peccato-
rum remis-
sionis cau-
sa.

4.
Photinia-
ni perver-
tur statim
controver-
sia.

duntaxat addere libet; utrumq; in Scripturis inveniri: Quod pro nobis mortuus sit Dominus, & quod propter nos, id est, in commodum nostrum 1. Cor. 8. v. 11. absit vero id eò restringere: quasi propter nos mortuus, sit idem, ac si exemplo suo Christus tantum monere voluerit, ut in salutis viâ quam ingressi sancti, persistant, siquidem tantundem valere Martyrum mortes apertum est. Ergo & posterius. Sed hanc controversiam de satisfactione, nostram jam non facimus. Socinus part. 4. de Ser. c. 9. p. 370. & 371. insuper aliud producit medium: inquit: *Etsi concideretur satisfactio vel meritum Christi, non tamen sequi quod urgemus; si quidem fides tali promissione nititur, quæ semper futurum respicit tempus, itaq; necesse est, fidem in Christum persuasionem, seu firmam opinionem alicujus rei, quæ futura sit contineri.* At vestra (inquit Socinus de nobis) *isthæc in Christum fides præteritum tempus omnino respicit, & firmam opinionem ejus rei, quæ jam parta est tota continetur.* Hæc illè. Quæ ratio etiam Arminianos juvat, cur negent: *Fidem esse fiduciam certam remissi propter Christum peccati, uti constat ex res. Armin. ad 31. articulos & ex Remonstrant. Confess. c. 11. Num. 2. Hoc est negant fidem, qua justificamur, talem esse fiduciam, quâ indubiè statui possit, per vulnera mortem, resurrectionem Christi, peccata nostra esse deleta, justitiam partam.*

Fides respicit præsentia, futura & præterita.

Sed cum his fallitur Socinus, dum fiduciam respicere futuram tantum dixit, quippe & præterita & præsentia & futura fidem respicere, dictorum evidentia concluditur Joh. 11. v. 27. Joh. 16. v. 27. 1 Thes. 4. v. 14. Act. 8. v. 37. 1 Joh. 5. v. 5. Futura respicit ratione doni promissi; præsentia ratione Verborum Dei promittentis, quæ vel audimus vel recolimus memoriâ: præterita respectu causæ quâ motus Deus, se justificaturum esse homines pollicitus est, & hæc passio & satisfactio Christi. *Confundit E. Socinus: objectum spei, seu rem speratam cum objecto fidei; futura speramus, confidimus autem promittenti.* Si E. intelligit, fidem respicere rem promissam & fide expectatam, tanquam futuram, ex parte verum est, si autem eum, à quo res promissa expectatur, certè respicit etiam præterita; confidimus enim Deo, non ut aliquando promissa daturus, sed etiam ratione promissionum jam olim promulgatarum, ait Hun-
nines

nius refut. error Photin. sect. 3. c. 3. err. 8. n. 97. pag. 553. confer
Steg. Disp 39. q. 1. ad obj. 1. Resp pag. 631.

XX. Fidem fiduciam negat *Sovenickfeldius*, cum non sit qualitas
quædam acquisita ex ejus sententiâ, sed ipse Christus; quod etiam
arridet Weigelianis, videatur *Gerhard* part. 2. disp. Theol. disp. 3. de
gloriâ Dei per Weigelianos labefactatâ § 3. p. 322. ex eâ ratione,
quoniam fidei tribuatur salus *Luc* 7. v. 50. & vitæ æternæ colla-
tio; tum quia disertè ab Apostolo in Epist. ad Heb. c. 11. 15. *ἡ πίστις*
ουσις vel substantia singularis dicatur, sed ad has rationes tacere
satius est quam respondere: siquidem tam putida est Weigeliano-
rum opinio, ut apud sanos, assensum mereatur nunquam. Si
n. Fides ipse Christus, quâ ratione jussit scriptura credere in Chri-
stum *Job* 3 v. 36 Sed ut nihil intactum maneat, dicimus ad pri-
mum argumentum, illud procedere ex ignoratione Philosophiæ;
confundit enim actionem accidentium instrumentalem, origina-
tam & mediatam cum operatione substantiarum principali &
originante: quæ benè simul possunt stare. Alterum ex inscitiâ
in grammaticam impingente. *ἡ πίστις* enim non ubique sub-
stantiam quandam priam propriâ subsistentiâ existentem signi-
ficat, sed etiam fiduciam immotam, quam aliàs *παρρησίαν* &
ἀληγοφορίαν vocamus, ut hinc explicationem innuit vox ap-
posita, *ἐλπίζομένων* scil. *πάντων περὶ γυμνάτων*, ut omnes Græci, teste
Pareo p. 558. exponunt, hinc *Sym.* apud *Tremellium* & *Esthium* p.
1033. *Est autem fides*, dicit, *persuasio de illis quæ sunt in spe, ac si es-*
sent illis in effectu.

XXI. Quam alieni itidem Papistæ ab hoc fidei effectu vero
sint, in proclivi est videre: Licet enim ipsi meritum Christi non
negent (quanquam pro omnibus peccatis tam originali quam actua-
libus in sufficiens esse illud blaterent, dum sanctos subinde suis pass o-
nibus & operibus supererogationis, defectum passionis Christi supplere
asserunt, ut *Bellarmin.* lib. 3. de Rom. Pont. c. 23. & lib. 4. de Rom.
Pontif. c. 10. *Costerus* in *Enchiridio* c. 15. & 16. *Concil. Trident.* Sess.
14. Can. 12. & seqq. quod commentum satis prolixè atque suffici-
entissimè retunditur à *B. Chemnitio* 4. part. Exam. *Concil. Tri-*
dent.) attamen fidem non esse fiduciam in Christum constanter asse-
runt, (in quo cum Photinianis, utpote qui etiam objectum fidei

Contra
actum fi-
dei certum
peccant
Papistæ.

esse Christum cum suo merito, negant, conveniunt, abservante *Dz. D. Gerharo* part. 2. disp. Jenens. in Photino-Papismo §. 59. p. 806.) ita namque *Bellarmino*. c. 5. de Justif. lib. 1. inquit: *Fides dumtaxat est assensus*. Nec aliter quidem ipsi sentire integrum est, cum Trid. Concil. Sess. 6. c. 12. fulmen suum brutum in eos torqueat, qui dicunt: *Fidem justificantem esse fiduciam misericordie divinae peccata remittentis propter Christum*, (quod tamen multis è Papistis arri- dere dudum demonstravit pl. Rev. & Excell. Dn. Præses contra Hagerum disp. 17. §. 18. p. 774. 775.)

Fidem esse fiduciam probatur adv. Bellarm.

I.
A Scriptura Testimonio.

XXII. At fiduciam esse & quidem non generalem tantum in Deum, quâ Deum opitulari posse credimus & velle, sed in Dei misericordiam remittentis delicta ob satisfactionem Christi patet ex sequentibus fulcris: Fides siquidem *ἡ ἀληθινή πίστις*, *παρρησία*, *πεποιθήσις* dicitur, quæ non assensum nudum, sed persuasione fiduciam, immotam, firmam notant Rom 4. v. 21. lectio enim *Constantini Roberti*, quam *Bellarmino*. urget ad salvandam autoritatem vulgatæ versionis, *ἡ ἀληθινή πίστις* (quasi *πίστις ἀπὸ τῆς φωνῆς*, id est comperire, deprehendere) est adversus constantiam omnium codicum. Eph. 3. v. 12. quo quidem loco *Bellarmino*. lib. 1. de Justificat. cap. 4. *Gregor. de Valent.* Tom. 3. disp. 1. punct. 1. *Pistorius* in *Hodog* pag. 219. adversus nos solent uti, quasi fides & confidentia hîc distinguantur; Sed sciendum scripturam utrumque dicere, & fiduciam oriri ex fide, & esse ipsam; ita *Matth.* 9. 2. *πίστευε τέκνον* id est, crede. *Heb.* 10. v. 35. dicitur fides *παρρησία*; conf. 39. cap. 4. 16. Igitur notandum, quod fides sit fiducia, videlicet respectu apprehensionis & receptionis. Deinde & fidei consequens potest esse confidentia, quatenus ex apprehensione objecti jam factâ oritur *Phil.* 3. v. 4. Imò *ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων* imperterrita animi confidentia *Heb.* 11. v. 1. Quæ *ὑπόστασις* explicatur per *παρρησίαν* cap. 3. v. 6. cum quo conferatur v. 14. ad monitum *Parei* in h. l. pag. 559. A. καὶ per τὸ *καύχημα τῆς ἐλπίδος*. Unde argum.

Quod cum πίστις καὶ καυχῆσι in esse conjunctum est, ejus esse non consistit in nudo assensu.

At fides tale quiddam est. E.

Acco.

Accedit, quod credere in Deum, fidere in Deum, Deo confidere, sint in Scripturis Synonima: nam, quod dicitur Psal. 2. v. ult. credere in Deo, item Psal. 34. v. 9. Psal. 31. v. 1. in quibus locis una eademque radix $\eta\sigma\eta$ usurpatur, id in Nov. Test. per credere explicatur 1. Joh. 5. vers. 13. & alibi. Unde Staplet. ipse in *prompt. Moral. part. 1. Dominic. Pentecost. loc. 6.* his motus idem sensit, & sic sui suorumve immemor fuit, quando verba illa: *Creditis in Deum etiam in me creditis* explicat, quod credere in Deum sit idem quod in Deo fiduciam ponere. Verba integra pag. 747. ita sonant: *Illud unam addi potest, de hujus fortitudinis & fiducia medio, quod Christus hoc eodem sermone expressit, dicens: Creditis in Deum & in me credite, id est, in Deum fiduciam habete & in me.* Mox tamen relabens part. 1. *prompt. Cathol. in eadem Domin. Loc. 1. p. 152.* inquit: *Impie heretici solam fidem predicant & frustra fiduciam & specialem illam fidem suam jactant.* Imò ipse Bellarm. hanc Synonymiam lib. 2. de grat. cap. 3. probat; *Quando credere ipsi idem est, ac Deum recipere.* Taceo effectus fidei, ut sunt remissio peccatorum, justificatio, Adoptio, victoria mundi & alia, quæ nudo assensui attribui non possunt. Videatur iterum *Pl. Rev. Dn. Preses cit. l. §. 39. p. 828. 8. 9.*

XXIII. Hæc quanquam apud omnes sanæ mentis ob dictorum claritatem calculum mereantur, Bellarmino tamen non est religio eisdem contradicere: Siquidem lib. 1. de Justif. c. 6. propterea nos absurditatis accusare non veretur, quod fiducia sit roborata spes, quæ tamen à fide distinguatur. 1. Cor. 13. v. ult. Unde ulterius pergit, quod fiducia à fide ut effectum à causâ distinguitur, idque ex Eph. 3. v. 12. in quo habemus fiduciam & accessum in confidentiâ per fidem & Matth. 9. v. 22. *Confide filia; fides tua te salvam fecit* & 1. Tim. 3. v. 13. *Qui bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirent, & multam fiduciam in fide.* At tantum ab est ut inde absurdi alicujus postulare nos possit, ut maxime pervertat statum, & extra oleas vegetetur. Non enim in quæstione est de $\tau\alpha\lambda\eta\rho\phi\omicron\rho\rho\rho\iota\alpha\ \tau\eta\varsigma\ \epsilon\lambda\pi\iota\delta\omicron\varsigma$ ut Apostolus loquitur, Heb. 6. v. 11. de qua 1. Cor. 13. v. 13. agitur, sed $\tau\eta\varsigma\ \pi\iota\sigma\tau\epsilon\omega\varsigma$ Heb. 10. v. 22. Largimur deinde ultrò, fidem à fiduciam $\tau\eta\varsigma\ \epsilon\lambda\pi\iota\delta\omicron\varsigma$ discerni

2.
A fidei Synonimis.

3.
Ab effectibus ejusdem.

Bellarmino.
Objectiones.

Resp.
1. Bellarm. pervertit contrav. statum.
2. Confundit fiduciam $\pi\iota\sigma\tau\epsilon\omega\varsigma$ & $\epsilon\lambda\pi\iota\delta\omicron\varsigma$.

3. Confundit fidem cum eisdem gradibus.

ob objecti diversitatem, cum hujus esse consistat in boni futuri expectatione, illa autem in apprehensione, & presentia respiciat, non autem à fiducia *in se*. Tertio Bellarm. in allegatis fidem cum eisdem gradibus confundit. Nam fides est quidem fiducia, est tamen causa alius fiduciae, quae alacritas & fortitudo dici potest, originem ex fide ducens, quaeque in hoc major in alio minor deprehenditur, non quasi ipsa fides admittat magis & minus (ita ut etiam de Justificatione dici possit) ratione apprehensionis, non enim minus recipit Christum, qui parvae fidei est, quam qui magnae. Sed ratione exercitij vel ratione fiduciae metonymicè sumpta, pro confidentiâ. De qua dicta alleg. à Bellarm. loquuntur, sed quid hoc ad scopum? Quæstio enim non est de hac significatione, sed illâ alterâ. Sic Esth. fidem in 1. Cor. 13. pag. 362. fidem dicit eam, quâ Deo credimus, spem, quâ promissa ab eo expectamus.

Abraham fides fuit fiducia cont. Pontific.

XXIV. Alioquin roboris multum se invenisse in fide Abrahamæ, pro stabiliendo suo dogmate, opinantur Adversarij, cum illa & affirmativè & negativè describatur, nullibi autem fiat mentio fiduciae. Verum hallucinari liquidò eos deprehendimus. Credidit (dicitur v. 18.) enim Abraham in spem contra spem, num hoc assensui attribuendum censeas? Sicut hunc versum urget Amesius Bellarm. enerv. T. 4 l. 5. c. 2. §. 9. pag. 96. Chamier panstrat. Tom. 3. l. 13. c. 12. §. 3 & 5. pag. 212. Ipse Cajetanus in enarratione dicti Moysi Credidit Abraham Deo, explicat per fiduciam in Deo ponere. Sunt quidam ex pontificiis, qui Abrahamum fide quidem promissionem apprehendisse concedunt, sed illam de multiplicando semine tantum fuisse ajunt. At ubi hæc exclusiva? Non inficias imus, Abrahamum fide apprehendisse promissionem de seminis multiplicatione, sed *ὡς* negamus, Christum cum merito suo fuisse exclusum, qui enim alias potuisset ipsi talis fides imputari ad justitiam? Et excludemus nè Christum à voce seminis, cum vel maximè in voce seminis Gen. 22. v. 18. & 26. v. 4. Christus intelligatur, non modò fatentib. ipsis Papistis sed & ita explicante Paulo Gal. 3. v. 8. (ad quem locum Esth. p. 561. Christus est semen illud promissum) ex Pet. Act. 3. 25.

25. Porro

XXV. Porro notanter dicitur, th. 6. Fidem esse, fiduciam
 singulari: Nam non modo credendum: Deum ob filii inter-
 cessionem & meritum nobis fore propitium sed in Individuo cre-
 dens statuatur necessum est, sibi remissa esse peccata: Se esse ingratiã
 apud Deum, idq; ex ipsa fidei descriptione in actu exercito, ubi e-
 jusmodi reperiuntur pronomina, quæ id statuminant. Jobus
 certè (quod profert exemplum Chamier dd. l. §. 7.) inquit cap. 19.
 v. 25. Novi Redemptorem meum vivere. *וַיֵּדַע* notat in dubita-
 tam scientiam, inquit *Meisn.* in Fide Jobi §. 8. apud quem & *Ma-*
rinus in Arca Noe וַיֵּדַע, propriè significat cognitionem sensus quæ sa-
 nè omni dubitatione major. Paulus ait Gal. 1. v. 3. Christus dedit
 semetipsum pro PECCATIS NOSTRIS & cap. 2. v. 20. semet-
 ipsum pro ME tradidit, & Rom. 8. Certus sum &c. Ipsa Aposto-
 licæ fidei confessio id evincit fidem esse ejusmodi medium, quo e-
 jusmodi fiat applicatio. Dicimus enim: Credo in Deum Pa-
 trem: quo & adduci potest usus Sacramentorum & formula ab-
 solutionis. Vide *Chemn.* part. 2. Loc. pag. 276. & 277. *Amesium*
 d. l. c. 2. & 3. *Chamier.* c. l. c. 3. Bellarm. verò huic sententiæ
 Orthodoxorum dicam scribit lib. 1. de justif. c. 10. cum nusquam
 exteri verbo Dei. (Becanus substituit apud Chamierum c. 5. §. 1.
 nulli est specialiter revelatum) quod MIHI, TIBI, ILLI, in parti-
 culari annuncietur remissio peccatorum, & gratia Dei, & salus,
 exceptis paucis. Verum hoc perinde est, ac si omnem hominem
 animal dixeris, omnem nivem esse candidam, & tamen dubitares,
 an hic homo sit animal, hæc nix sit candida: particularia certè con-
 tinentur in universalibus. *Qui contra pugnat* (verba sunt Cha-
 mieri §. 2.) *hunc necesse est, & rationis usum abolere, & omnem re-*
rum veritatem pessundare: atque adeò mira & aiva Inoia, & aiva-
quwria imò & Trovoia laborare.

Non minus rectè quam eruditè dicitur à *B. Chemnitio* part. 1.
 Concil. Trident. pag. 304. quod Fides Pontificiorum inter univer-
 salia, vel Platonicas in aere generali per suasionem suspensas ideas volitet,
 nec de applicatione ad personam sit sollicita. Quàm misera sit au-
 tem hæc fides, conscientiarum terrores, & morientium apud Pontifi-
 cios gemitus docent. Sed de hac re infra pluribus ubi de fidei age-
 tur opposito.

*Fidem esse
 fiduciã sin-
 gularem,
 probatur
 contra Bel-
 larm.*

1.
*Ex fidei de-
 scriptione.*

2.
*Ex Aposto-
 licæ fidei
 confessione.*

*Objeçtio
 Bellarm.
 diluitur.*

*Papistarum
 fidei De-
 scriptio.*

Est autem non in viribus nostris, ut in Christum credamus, nam in intellectu post lapsum naturaliter est ignorantia: *Animalis siquidem homo non percipit quae sunt Spiritus, id est ad salutem facientia, 1. Cor. 2 v. 14. cum ipsum peccati natura lateat & Christi notitia; nec agnoscat irae divinae gravitatem ob admiffa.* In voluntate autem est aversio à Deo: *Omne enim figmentum cordis humani tantummodò malum, Gen. 6 v. 5. & omnes declinaverunt & inutiles facti, Rom. 3. v. 12.* Unde naturaliter in homine non est inobedientiae detestatio: & quò rerum fastigia comprehendam, in omnibus hominis viribus est rebellio atrocissima; non enim legi Dei est subiectus homo, sed eidem in omnibus contrariatur, Rom. 8. v. 7. Galat. 5. v. 17. Unde fides donum Dei esse, Scriptura celebrat, & quidem planè gratuitum: Siquidem Christus inquit: *Nemo potest venire ad me, id est, in me credere nisi pater qui me misit, traxerit eum, Job. 6. v. 44. Confer Phil. 1. v. 29. & cap. 2. v. 13. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere.* Imò si esset aliquod *ἦν* sed Deus *ἡμῶν* fides, Christum nossent sapientes hujus mundi, quibus tamen voluntas Dei abscondita, Matth. 11. v. 25. Videatur Hunnius *fidei quod refutat. err. Photinian. sect. 3. c. 5. error 1. n. 22. ad 28. pag. 491. ad 496.* *Intelligimus autem Deum esse fidei autorem non modo ratione*

1. *Dictorū* *initii sed & incrementi, Luc. 17. v. 5. Ad auge nobis fidem; tum ratione claritate.*

2. *Absurditate.*

3. *Photinia- ni hominē naturā habere credē- di facultatem somni- ant.*

XXVII. Photiniani hīc sat imprudentes se probant, dum hominem credendi facultatem ex naturā habere disputant, nec opus esse singulari Dei dono Spiritus; *Ita Socinus de justificat. p. 142. Quoniam verò persuasione istā & obedientiā ea fides in Deum continetur, quā S. Litera hominem coram Deo justificari testantur, jam satis ex praedictis constare potest, quam in ipso homine hujus fidei sit causa & fundamentum, nempe recta faciendi ac prava vitandi amor & studium.* Idem inculcat pag. 55 56. & *Tractatu de Servatore part. 4. c. 12. pag. 405. 407.* Quem tamen errorem communem habent cum Valentinianis & Basilidianis. Sed nec injuriā Arminianos cum Photinianis conjungimus utpote in hoc convenientes; Siquidem fidem à docilitate ejus, à quo exigitur, dependere, expressè habet *Remonstrantium confessio cap. 11. num. 4.* Quamquam *Jacobus Arminius in Resp. ad 31. artic. ad art. 7. sibi soli im-*

putatum

putatum

putatum

putatum

putatum

putatum

putatum pag. 160. hoc strenuè neget. Ubi si disputarent, homi-
 ni nondum renato potestatem, (ut scil. possit intrare templum &
 non intrare, sicq; obicem & ponere & non, de quo consulatur
 Sigwardus contra Pareum lib. 3, cap. 3. artic. 7. pag. 453. 454. 455.)
 audiendi verbum Dei relictam esse, è cuius auditu fides nascere-
 tur divinâ benedictione, non ipsis contradiceretur, sed in eo est
 controversia: *Num fidei principium sit hominis docilitas & probi-
 tas; quod asserunt contra verba manifestissima Eph. 2. v. 8. fides
 donum est Dei. Job 6. v. 29. Opus Dei est ut credatis.* Quanquam
 non ad eò sit mirandum, eos hoc asserere, cum eò audaciæ pro-
 gressi sint, ut non erubescant corruptionem hominis originalem,
 tragelaphon & Augustini commentum vocare: Ex quo errore
 unico cæteros omnes ut rivulos ex fonte profluxisse videmus.
 Nec tamè sine armis vel armorum furo potius nobiscum in aciem
 descendunt, sed semper quod excipiat invenit Photinianus Spiri-
 tus. Imprimis, si urgetur *non omnium esse fidem* ex 2. Thess. 3. v. 2.
 sequens *ἡ πίστις ὅσοις* reponit Socinus in prælect. cap. 12. p. 50. quan-
 do inquit: *Sensum esse hunc, non omnes credere seu non omnibus da-
 tam esse credendi potestatem à Deo: Quamvis verò donum esse fides
 celebretur, non tamen obstare, quo minus in nostris sit viribus. Neque
 enim Dei donum fides non erit, etiamsi in hominis sit potestate crede-
 re, id est, fidem sibi per Evangelii prædicationem oblatam accipere.
 Quemadmodum si ego cuipiam, cui nihil prorsus debeam, pecuniam
 donare velim, nulla ex parte imminuetur liberalitas mea, etiamsi in
 ejus potestate sit, pecuniam accipere vel non accipere. Quocirca
 donum Dei est, ut in Christum quis credat, cum id sine ipsius annun-
 ciatione fieri nullo pacto possit.*

XXVIII. Verum strophæ hæ non merentur prolixam re-
 sponsum, cum status controversiæ vel Scopus Loci ex Epistola
 ad Thessal. adducti non attendatur. Nam ibi non quæritur de
 fidei existentiâ, siquidem nos facile damus hæc ratione fidem non
 reperiri in omnibus, sed ejusdem productione, quòd Deus scilicet non
 in omnibus fidem operetur: *Non equidem ex absoluto quodam decre-
 to, quod Calvinianorum est dogma: (Quippe qui non erubescunt
 expressis proferre verbis: Deum quidem verbum suum proponere
 omnibus, fidem autem pro puro suo bene placito largiri nolle.* Spind-

D

lerus

Status cō-
 troversie
 non ritè à
 Photinia-
 nis forma-
 tur.

Ierus. im. nōtigen Bericht pag. 274. & seqq. Similia testimonia vide apud Sigwartum contra Paræum lib. 3. cap. 3. artic. 7. membr. 4. pag. 433. & seqq.) sed ob resistantiam ipsius hominis. Similiter, concedimus quidem, quod homo per impietatem reluctando possit efficere, ut fidem non concipiat; quod verò idem per probitatem assentiendo possit facere, ut fides in eo generetur, id falsum pronunciamus, inquit Stegm. disput. 37. qu. 1. Peccatur etiam, quando fides à Deo dependere dicitur, tantum ratione annunciationis. Nam donum quoque est ratione operantis, ut oppositio inter donum, & hominis operationem evincit.

Error Pe-
lagianorū.

XXIX. Pelagiani quid docuerint olim, edisserit August. lib. 1. de gr. cap. 18. quibus suum nunc addere calculum Pontificios, videt is quem non fugit de libero arbitrio hominis in spiritualibus eorum dogma. Nam etsi ipsos militiam facere nobiscum adversus Pelagianos videantur; attamen dum eorum conantur destruere dogma, eodem se turpiter implicant: Ita ut illos sicuti sui temporis homines, Irenæus in proœm. lib. 1. contra Valent. apud Dn. D. Krakevitz. disp. de satisfact. Christi §. 7. hab. Anno 1618. ὁμοια μὴ λαλῶντες ἀνόμοια δὲ φεροντες appellare possimus, non quidem (vid. Gerh. Tom. 1. Disp. Jen. de Labefactato studio Pietatis per Pontific. Photin. & Calvin. Disput. 1. §. 37. pag. 620.) eo sensu quasi operationem Spiritus S. ad conversionem & fidei productionem necessariam, irent inficias, quod Pelagio primis sui erroris temporibus arrisisse dicitur; Facere tamen cum Pelagio posteriori, ut loquuntur Theologi, nemo negabit. Conf. Dn. D. Meisn. ἀνθρωπ. Dec. 3. Disp. 22. qu. 2. Nam extradubitationis aleam est positum, Pelagiam, cum nullum ex factis apicem pro defensione suæ prioris opinionis invenire posset, linguam compescuisse & postmodum, & Spiritum Sanctum, & voluntatem hominis conversionis & fidei fecisse causas socias: à quone latum unguem dissident Pontificii. Imò quidam ferè crassiores ipso Pelagio, teste Excellentiss. Dn. D. Præsidi in Anti-Hagero Disp. 16. qu. 1. pag. 659. 660. Non dicam jam quantum olim dederint & concesserint voluntati hominis naturali in actu conversionis primò Biel, Scotus, Occanus, Cammeracensis &c. citante Dn. D. Gerh. d. l. pag. 621. quorum numerum etiam Andradius

com+

complet. hoc interim certum. Ab omnibus naturalem concurr-
sum voluntatis in accensione fidei non passivè quidem, quod luben-
ter damus, cum Dn. D. Gerbaro conf. Cathol. lib. 2. spec. parte 3.
artic. 22. cap. 4 §. 2. pag. 536. Meisnero d. 1 §. 25. sed activè re-
quiri: Ea propter Bellarm. lib. 4. de gr. & lib. arb. cap. 15. simili,
de duobus viris idem onus portantibus uti non erubescit & lib. 6. de
gr. & lib. arb. cap. 11. inquit: Cooperamur Deo, non solum ut adver-
sarii volunt post justificationem, sed etiam in ipsa justificatione & ini-
tio fidei. Et Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. dicit. posse hominem
eidem gratia liberè assentiendò & cooperando disponi, docente Dn. D.
Balduino disp. de conversione hominis §. 64.

Pontificis
Pelagia-
nizant.

XXX. Verum ejusmodi Synergia in productione fidei me-
rito Orthodoxi se opponunt. Quippe voluntas averfa, intelle-
ctus obscuratus, & in cæteris viribus hominis est disconvenientia
maxima. Hinc merè se passivè habet homo in conversione.
Nam nos vivificavit Deus in Christo cum mortui essemus, Eph. 2. v. 5.
Col. 2. v. 13. Deus operatur fidem: non est qui intelligat, omnes enim
deflexerunt. Psal. 14. v. 1. 2. Deus aperit oculos, ut à tenebris conver-
tamur ad salutem. Matth. 13. v. 15. nec plus tenebras quam lucem
diligamus. Job. 3. v. 19. Unde Clementissimus Deus semper ostio
astare & pulsare dicitur. Apoc. 3. v. 20. Januam cordis clausam
vult aperire, modò ne pessulum obdamus. Et quæ Synergia fidei
homini attribui potest, dum ne cogitare quidem aliquid sufficienter
valemus, quod ad fidem & conversionem faciat. Ephes. 4. v. 18. Vi-
deatur Dn. D. Balduini disputatio de conversione hominis habit.
Anno 1612. tota, imprimis §. 12. ad 15. & 20. ad 34. Meisner. àv.
θεωπολ. dec. 3. disput. 22. quæst. 5. Objicere nobis quidem hinc
nescio quam impietatem solent, quasi adimamus omnem agendi
libertatem homini, idque eo magis, dum Lutherus hominem se ha-
bere instar stipitis ac trunci solitus fuerit dicere, ut videre est in cap. 6.
Ose. in Postill. Eccles. die Nativ. & in cap. 3. Epist. ad Titum, &
Dom. 3. post Epiphan.

Quomodo
homo se ha-
beat in pro-
ductione
fidei.
Deus ope-
ratur fidem.

Lutherus
immeritò
accusatur.

XXXI. Verum tantùm abest, ut eò dementiæ progressus
sit B. Lutherus, ut idem maximè detestatus. Nam hominem ha-
bere

Luth. de-
fenditur.

Quomodo
homo la-
pidi in cō-
versione
cōparetur.

bere agendi libertatem in civilibus, nullibi negavit: pervertunt
itaq; malitiosè controversiæ statum, cui attendendum erat: dein
lapidi vel trunco assimilari hominem à Luthero fatemur, sed non o-
mnimodo, scilicet non respectu resistantiæ, (nam truncus edolandus
artifici resistere non potest, hominem autem Deo posse resistere
testantur oracula divina), consulatur Sigvartus contra Paræum
pag. 453. 454. sed tum ratione usurpationis mediocum ad salutem
necessariorum, tum etiam capacitatis & aptitudinis active: Et sic
benè conveniunt inter se comparata: Quemadmodum enim
stipes & lapis ex se nihil confert ad fabricam, ita homo animalis ex
se nihil conficere potis est ad sui conversionem, quia legi repu-
gnat. Conferatur Meisnerus in ἀνθρωπολ. dec. 3, disp. 22. qu. 3.
S. 26. 27. 28. 29.

Deus ope-
ratur fidē
non per ra-
ptus.

XXXII. Operatur autem Deus fidem non per raptus Enthu-
siasiarum, qui in angulos solitarios recedendum esse statuunt, ibi-
demq; expectandam Dei gratiam, atque illuminationem; adeoq;
docent hominem ad cognitionem Dei, his quasi gradibus subvehi.
1. durch die entgröbung. 2. durch die studirung. 3. durch die vero-
wunderung. 4. die lange weil. 5. besprengung. Vide D. Ægid.
Hunnii disp. contra furores Anabapt. S. 14. 15. habit. Witteb. An.
1598. Thummii impietatem Weigelianam pag. 17. 18. imprimis
D. Nic. Hunnii disput. contra Paracelsi & Weigel. hab. Witteb.
Anno 1619. cap. 4. S. 12. & seqq. Hoc enim è Diametro verbo
Dei repugnat, & erroris convincitur piorum exemplis: Neque

Nèque per
violentia.

operatur per violentiam aliquam quasi pertinaciter resistentes trahat,
quod quidem asserunt Calvinus, Paræus, Piscator, Bogermannus,
Brandius, & Theologi Synodi Dordracenæ, citati à Pl. Reverendo
Dn. Præside modò laudatâ disput. 16. Anti-Hagerianâ qu. 2. S. 1.
pag. 671. Vid. etiam Arminium declarat. suæ sentent. pag. 21.
Brochm. T. 1. artic. de gratia qu. 30. & Remonstrant. Resp. ad epi-
stolam Walachrianorum pag. 61. 67. 124. Sed per media ordi-

Sed per me-
dia quæ
duplicia.
Verbum
& Sacra-
mentum.

naria, quæ sunt vel ἀύστὰ vel ὀργὰ: & sunt Verbum & Sacra-
menta. Ex auditu enim Verbi est fides. Rom. 10. Nam illud non
duntaxat ostendit Dei voluntatem, quid à nobis fieri velit, sicut
Rathmanniani hac ratione verbo Dei vim convertendi ascribunt
ap. Thumm, disquis. de effic. verbi qu. 1. Statu qu. 6. sed etiam pote-
statema

statem illuminandi mentem interius, & flectendi voluntatem ho- *Quomodo*
 minis habet. Non quasi talis efficacia verbo adscriberetur pro *verbum sit*
 ut materialiter sumitur, pro literâ scripta vel Physico sono, videatur *medium*
 Thum. disquisit. de efficac. verbi qu. 1. neque, quatenus ejusmodi *Fidei.*
 qualitas sit in creaturis sive in hominibus, sed ex divina operatione: *Probat.*
 quod probatum damus: 1. ab exemplorum inductione, Auditorum *1.*
 videl. Petri. Act. 2. 27. Cornelij ejusque domesticorum Act. 10. 44. *Ab exm-*
 Lydia. Act. 16. Ephesiorum. Act. 19. 45. Cubicularij Reginae Can- *plorum*
 daces &c. 2. ab encomiorum verbi attributione. Dicitur enim *inductione*
 sermo viva. Act. 5. v. 20. potentia Dei, Rom. 1. v. 16. 3. à Verbi *2.*
 per similitudinem explicatione, confertur enim pluviae fructificanti. *Ab Enco-*
 Os. 6. 3. Imbri. Es. 55. v. 10. semini immortali, ex quo renasimur. *miorum*
 1. Pet. 1. 23, Et tandem ab ipsius scripturae hac in re decisione. Nam *attributio-*
 Doctrinae si attenderimus nos ipsos & alios servabimus. 1. Tim. 4. 16. *ne.*
 Unde verbum est, per quod salvamur. Act. 11. 14. & erudit nos ad *3.*
 salutem. 2. Tim. 3. 15. vid. Gerh. T. 6. §. 251. Himnel. Coll. Iren. *A verbi*
 Disp. 1. Antith. 3. p. 16. Hunn. Error. Photin. Sect. 3. c. 5. Error. *per simili-*
 2. pag. 501. &c. ut & authores modo allegati. *tudinem*

Quâ in re num consentientes habeamus Calvinianos, eo *explica-*
 rum docent emblemata, quibus operandi vim verbo Dei aperte *tione.*
 derogant, uti est è primis illud de absoluto decreto: imò apertissi- *4.*
 simis id fatentur verbis. Beza resp. 2. ad Acta p. 116, ait: *à Scripturae*
regeneratione hominis, valdè fallitur & in Deum ipsum injuriosè est, *decisione.*
quisquis aut hominibus, per quorum os loquitur vel ipsi externo Dei *Calviniani*
verbo, vel sacramentalibus signis Deum existimat vel tantillum di- *derogant*
vina illius suae virtutis hominibus renovandis & aeterna vita in Christo *verbo vim*
servandis attribueret; quod ne Angelis quidem ipsis convenit *operandi.*
 Taceo
 eò impudentiæ eorum non nullos progressos esse ut verbum Dei
 non immotæ veritatis esse statuant, nedum efficax fidei organum:
 recognoscant modo sua verba Piscator, Beza, & alij quam pluri-
 mi, qui hæc apophtegmata habent: Deum interdum verbo reve-
 lato aliquid velle, scilicet ut omnes credant, quod tamen arcano sen-
 su reverà nolit, aut nolle, ut sc. quidam non sint increduli; internè ta-
 men reverà velle; item (quod ex præcedente fluit) Deum non omne
 velle quod profiteatur lingua, Videantur Meisn. àνθρωπολ. disp. 12.

D. 3, q. 1.

q. 1. & 1. proba Calvinist. c. 1. vat. 1. p. 82. 83. Sigvartus l. 3. c. 3. contra Jæn. Paræi artic. 7. membro 4.

*Fidei pro-
ductio se-
cundum
Calvinia-
nos.*

*Nos accu-
sant Cal-
viniani er-
roris Pela-
giani.*

*Controver-
sæ status
circa ope-
rationem
verbi in
accensione
fidei.*

*Mens
Svvenck-
feldiano-
rum.*

XXXIII. Alias communiter in describendâ conversione homi-
nis ita procedere solent: quòd primo Spiritus Sanctus superveniat
homini convertendo gratiâ suâ, sc. ex absoluto Dei decreto, quib. erat
dandus, deinde fidem det cum lecto & audito verbo, & tertio fides det
demum verbi usum. Ita Synod. Dord. in Judic. Externum p. 190.
192. in judic. provinc. p. 266. 267. p. 288. p. 306. ap. Dn. D. Hunnium
in diacon. § 721. p. 601. 602. Adjungatur Wigandus de Sacrament.
error. n. 1. Nec sufficit eos hoc statuere, sed insuper & nos erroris
accusant, quasi fidem accendi per moralem quandam suasionem
cum Pelagianis asseramus: Sicuti monstrant Dn. D. Theol. Mar-
purg. In refut. der wechsel Schrifften Casselianorum Eksteinio &
wechsel Schrifften in præf. ad Chrst. lectorem p. 5 Cum tamen
apud omnes in confesso sit illam in sufficientem esse ad fidem con-
ferendam & tantum verbo Dei conversionem nostram adscri-
bendam; hoc n. est tanquam complexum aliquod Ens, quod in se
habet sensum divinum & simul operatur, quippe divina virtus huic
verbo Dei indita est. In applicatione equidem ad hoc vel illud sub-
jectum, ut bene cedat opus, Deum rogamus, ut specialem Sp. S.
gratiam largiatur uti in Litaniâ soliti sumus cantare: Deinen Geist
vnd Kraft zum Wort geben. Interea suam in se virtutem verbum
Dei generalem habet, per quam fidem producere & generare suf-
ficienter potest. Videantur non modò antea sæpè adducti Autores,
sed etiam Tractat. de Verbo Dei Theol. Saxon.

XXXIV. Quo autem penitius rem perpendamus, quæstio est
quo ad subjectum, non de externis symbolis, nec de interno solum
sensu, sed de utroque conjunctim: quo ad predicatum non
quæritur, an in applicatione ad subjectum, ut hîc & nunc actu
effectus Spiritualis & conversio sequatur, specialis gratia Spi-
ritus Sancti accedat, namque hoc ultrò concedimus, sed in eo
disputatur, an verbum Dei in se habeat vim accendendi fidem,
quod nos volumus, an verò duntaxat sit externum monitorium,
cujus vis in externâ significatione credendorum & faciendorum
consistat, uti Philosophorum libri id objectivè exhibent, quod in-
quirimus? At hoc Svvenckfeldianismum olet; Seu, an fides ac-
cen-

cedatur per' moralem tantum persuasionem, ut Pelagiani sunt arbitrati, quorum in castris, quod ad hoc punctum, militare videmus Papales; vel per immediatam Sp. S. actionem, ante salutarem verbi usum fidem donantis, quod Calvinianum est. Non minus errant Photiniani, quando verbum prædicatum tantum *objective*, & nullo modo *effective* fidei causam pronuntiant, uti id apud Moscorovium cap. 6. de Baptismo p. 114. videre est, referente verba ejus Dn. D. Stegmanno disp. 37. qu. 3. & Dn. D. Hunnio Error. Photin. §. 3. c. 5. Err. 2. p. 498. In eo autem consistit potissimum error, quod verbum prædicatum externam rem dicant, quæ interne causa esse non possit. Quando verò objicimus locum classicum. Rom. 10. 17. *Fides est ex auditu*, excipit Moscorovius d. l. sensum esse, *auditus operâ ministerio verbi virtutem & significationem deferri animo re autem significatâ dein ab homine intellectâ Sp. Sanctum operari conversionem: Sed operatio ipsius Sp. S. & verbi prædicati à se invicem non se jungenda sunt: nec minus illud est potentia ad salutem, quando profertur à ministro & in auribus auditoris sonat, quam cum in cordibus recipitur.* Verba sunt Stegmanni d. l.

XXXV. Papistæ vero quanquam plerique concedant necessarium esse ad excitandam fidem in homine verbum Dei, per id tamen non verbum scriptum solum, sed & non scriptum ut loquuntur, traditiones & Papæ explicationes intelligunt neque id ipsis affingitur, cum plerique id expressis fateantur verbis: Videatur unus instar omnium Dn. D. Gerhardus confess. Cathol. l. 1. Gen. part. 2. c. 5. p. 352. 353. Quid verò de Papa ejusq; autoritate, tum supposititijs cum traditionibus Apostolicis censendum, id articuli de Scripturâ & Ecclesiâ docent. Quî enim Papa ejusq; explicatio ad fidem faciat, cum nihil istius quod divinum sapiat, in ejus decretis videamus? Hinc Abbas Joachim apud Gerb. d. l. c. 14 p. 734. ex Wolffio Tom. 1. memorab. p. 341. de Jure Canonico: *Quid dicam de summo Pontifice Aarone, qui modernos Præsules representans ad instantiam populi qui egressus faciat de Ægypto, vitulum conflagavit & sculptile, quod totum ad librum Decretalium referendum est, in quo omnis dolus & calumnia perseverat, ac per hoc Curia Sedis Petri nullum Pontificat, qui hujus Sedis simulacra non adorat. Eò ipso tamen non statuimus, ac si ministerium nihil ad fidem faciat, nam ministri sunt οὐρανοῦ Dei, teste Apostolo.*

Pontificij
Verbum
conferre
fidem con-
cedunt sed
non ver-
bum scri-
ptum tan-
tum intel-
ligunt.

36. Quid

*Weigelij &
Svvenckfel
dianorum
error.*

XXXVI. Quid hinc etiam Svvenckfeldianorum colluvies sentiat, ex eorum antesignano colligere licet, qui verbum prædicatum merum sonum, merum signum, meram vocem humanam nuncupat, *in præfat. de Evangel. & fol. 100. de verbo Dom.* quod si ipsi objiciatur locus ex Epist. Rom. i. v. 16. respondet mendax ille Spiritus, Evangelium illud, cui tanta virtus attribuitur, non esse orale aut prædicatum, sed æternum essentielle Evangelium Dei, & proinde Idololatriam turpissimam vocitare non erubescit, si quis verbum prædicatum fidei organum vivificans dixerit; quod si verò quis quærat, cui tandem usui sit? respondet *ut repleat aures externi hominis, eumq; in externâ disciplinâ edificet, & ad verum verbum, Christum sc. aditum monstret:* & hinc passim in scriptis suis docet: *Deum operari fidem in corde interno sine omni medio,* quem errorem etiam olim errasse dicitur Zvvinglius, admonitus verò & Scripturâ convictus, mox deposuit. Sed consuli possunt præter autores th. 32. statim in initio citatos, *Ministeria Lubecense, Hamburg. & Luneburg. in ausführlichen Bericht / von den neuen Propheten. Motivâ 3. § 164. & seqq. Pl. Rev. Licent. Joh. Müllerus in Def. des ausführlichen Berichtes contra Nic. Teting. punct. 6. p. 68. &c.*

*Fidei In-
strumentū
visibile.*

XXXVII. *Visibile instrumentum*, ut diximus supra, sunt sacramenta, quæ & fidem gignunt, & genitam alunt, fovent & augent. *Nam nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cælorum. Joh. 3. 5. & baptismus abluat peccata Act. 22. 16. Deus enim salvos nos facit per lavacrum regenerationis. Tit. 3. 5. 1. Pet. 3. 31. Sic Rom. 4. 11. dicitur circumcisio, in cuius locum baptismus venit sigillum justitiæ fidei: quod imprimis contra Bellarm. notandum, qui lib. 3. c. 11. de justif. inquit: Sacramenta non esse instituta præcipuè ad fidem sustentandam, quod & contra Calvin. effectum Sacramentis denegantes observandum: sed de hoc & alijs agi consuevit in loco de Sacramentis.*

*Instrumentum fidei
extra Or-
dinarium.*

XXXVIII. Instrumentum fidei extra ordinem, miracula sive Dei opera totius creaturæ naturæ vires superantia facimus, non simpliciter tamen sed ut verbum præeat. Neq; illa perpetua sunt, sed temporaria, itaque erroris accusantur merito, qui semper ea urgent, ac si penes istos fides vera non sit, qui miraculis modernis destitu-

destituuntur quod contra Papistas notari debet. Vid. *Calixtus* in
harmon. Evangelicâ pag. 119. 120. *Gerh. confess. Cathol.* l. 2.
special. parte 1. artic. 5. c. 14. thes. 11. p. 1227. & seqq. & alij qui
locum de Ecclesiâ suis meditationibus dilucidarunt.

XXXIX. Jam in explicatione Definitionis deferimur ad *Sub-* *Fidei Sub-*
jectum, quod constituitur duplex, *quod & quo*, Illud est quod de- *jectum.*
nominatur ab adjuncto suo, quodq; propriè & principaliter illud *Subiect.*
sustinet: hoc, cui rectè per se in hæret, adjunctum seu accidens. *fidei Quod*
de priori sentimus: fidem salvificam, adultis non modo compe- *non soli*
tere, sed ætati etiam omninò infantili, ut homo sit fidei subjectum, *sunt adul-*
sine omni respectu status & ætatis, quod etiam *August.* adversus *ti.*
Pelagium. Serm. 14. defendit, dum parvulos baptisatos in nume- *Sed etiam*
rum credentium ponendos statuit: & quanquam hic nos lateat *infantes.*
qualis parvulorû fides sit, seu quomodo se habeat, non tamen vere-
mur dicere: eandem esse ratione formalitatis cum fide adultorum.
Hinc *B. Chemnit.* (in signis Theologus ut eum appellare non eru-
bescit *Schuldetus Delit. Pragens.* c. 19. p. 71.) p. 89. part. 2. concil.
Trident. inquit: *Et si explicare non possim, quomodo infantes credant,*
non tamen res ipsa neganda: neq; hoc immeritò, cum multa in na-
turâ rerum deprehendantur, quorum modus & ratio acutissimos
etiam Philosophos fugit, ubi certe *αφιλόσοφο* esset ab igno-
rantia modi ad negationem rei processus. Quidni idem contingat
in sacris?

XL. Urgemus autem in primis dictorum evidentiam Matth
18. 6. Luc. 18. 16. Excipere quidem solent: non ibidem intelligi
ætate sed simplicitate parvulos, ut videre est apud *Bezam* part. 2 ad
Acta pag. 97. & 98. *Becanum* in Manuali p. 492. *Smalc.* disp. 10.
contra *Frantz.* p. 312. At num permittat hanc exceptionem vox
ἄνευ (quæ rectè Adversariis opponitur loco cit: ab *Hunnio*
Exam Err. Photin. p. 507. *Affellm.* Disp. de fide Infant. §. 8. *Steg-*
man. Disp. 28 quæst. 2 p. 605. *Marpurgens.* contra *Casselian.* c. 7.
p. 525. *Excell. Dn. D. Pras.* l. c.) videant ipsi: Extra dubium est &
manifestum omnibus, qui vel Concordantias consulere possunt,
per illam, quoties occurrit in N. Test. adhuc lactentes, vel tamen
non dum usu rationis utentes notari, hinc attribuitur ijs, qui sunt
αἱ ἐπιγεννητοί, novissimè nati. 1. Pet. 2. 2. Unde & *Erasmus*, cætera
Pontificius in h. l. Matthæi. p. 66. commentatur: *Hoc sane loco non*

E

fuit

Probatum
hoc Scri-
pturæ di-
clorum
claritate.

fuit otiosa diminutio; facit enim ad Emphasin, dum non solum invi-
 rat illos ad imitationem cujuscunq; pueri, sed pueri admodum pusilli.
 Ita & fatetur Jesuita Suarez Tom. 4 fol. 256. ap. Finck. T. 5. Giff.
 Disp. 13. §. 5. p. 354. & Bellarm. (qui tamen Corn. à Lap. in præf.
 super Pentat. dicitur Cath. Verit. Antemurale & murus) l. 1. de
 Bapt. c. 8. apud Dn. D. Hulsem. Anti-Hag. p. 286. Fatetur etiam
 Borichius Calvinianus in Resp. solido (per antiphras.) ad tractat.
 Anti-Calvinist. Magnifici & Nobiliss. Dn. D. Höens c. 36. pag. 217.
 Beza etiam Puerulos vertit. Quod non minus Syrus Textus
 demonstrasse videtur, qui voce utitur, quæ parvulos significat,
 secundum Tremell. qui expresse addit in Luc. Si adferebantur, teneri
 adhuc erant, quod amplius confirmatur ex eo, quod infantes essent:
 Illud autem observandum adversus hostes Pædo baptisimi. Ita & Tos-
 sanus in notis ad Luc. p. 197. Infantes appellat. Et tales pusillos
 Scra V.T. יונקים vocat, matris suæ ubera fugentes, vid. Schind. in
 Lexic. p. 770. D. & עוללים lactentibus majores vel recens abla-
 ctatos, ut loquitur Schindl. p. 1315. lit. C qui scilicet aliquid agitare
 incipiunt: Sic enim usurpatur 1. Sam. 15. v. 3. מעולל ועד יונק
 à puero usq; ad lactentem: Sed & illos hallucinari dicimus, qui
 Salvatorem de infantium loqui merè naturalibus qualitatibus
 statuunt, in quibus similes fieri debeamus illis: Quippe ver-
 ba Christi sunt clara, quando inquit: Nisi conversi fueritis &c.
 Remittit itaque Apostolos & nos omnes ad Sp. S. operationem
 in infantibus, qui obicem non objiciunt, nec obstacula ponunt,
 uti in more est adultis.

2.
 A fidei ef-
 fectu &
 proprietate.

Quomodo
 actualis
 fides in in-
 fantibus.

XLI. Deinceps in infantibus proprietates & effecta fidei oc-
 currunt. Nam infantes placent Deo. E fidem habeant necessum
 est, cum complacentia ista sine fide esse nequeat. Heb. 11. v. 6. Rom.
 14. 23. & per fidem salvantur, siquidem ipsorum est regnum celo-
 rum. Matth. 18 v. 3. Ita enim argumentatur ipse Borichius d. 1.
 Quorum est regnum Dei, necesse est, ut credant. Puerulorum est
 regnum Dei. E. placent Deo; ergò habent fidem, quia impossibile est
 sine fide placere Deo. Regenerantur in Baptismate. Joh. 3. 5. Tit. 3.
 5. Eph. 5. 27. Ubi autem regeneratio, ibi & actualis fides: Quod
 tamen ita intelligi volunt nostrates, non respectu externarum
 operationum, sed internarum, qualis est apprehensio Christi,
 quod contra Pontif. Calv. Photin. & Anabapt. notandum putamus

mus

mus, quos hic quodammodò convenire ex antecedentibus vide-
mus.

XLII. *Becanus* l. 2. c. 2. §. 15. 16. p. 488. *manualis controver-*
siarum, de hac materiâ singulare constituit caput & prolixè disse-
rit: aitque Pontificiorum sententiam esse: *infantes baptizatos non*
quidem omni fide destitui; quoniam ipsis per baptismum infundatur
habitus fidei, attamen non habere actualem propriam; sed alienâ
scilicet Ecclesiæ & patrinorum juvari; cui calculus addunt Bellar-
minus lib. de Bapt. c. 11. & Gregor. de Val. lib. de Bapt. parv. c. 3.
cum quibus Theologi Bavarici in Colloqu. Ratis. sess. 13. conve-
niunt. Ut autem Status controversiæ ritè formetur, non est quæ-
stio de tali sensibili & explicata fide, qualis convenit adultis, quæ
Pontificijs dicitur actus Fidei externus vid. Tomam 2. 2. quæst. 3.
& Viguer. Granatens. Inst. t. Theol. Tit. de Fid. pag. 265. talem
enim nec nostrates pueris recens baptizatis attribuerent, in proclivi
est probare, multo minus controversitur de Historica fide; sed sal-
vificâ: cuius esse in apprehensione meriti Christi consistit; quo obser-
vato operosum erit minimè, ad hæc & istius generis argumenta
(quæ Bellarminus l. 1. de Sacram. bapt. c. 10. in theatrum produ-
cit) respondere: Infantes non cognoscunt distantiam boni & mali.
Jon. 4. 10. Item non audiunt verbum Dei. Ergo non habent fidem.
Vid. modò d. l. Finckius T. 5. disp. 13. Gils. p. 373. & c.

XLIII. Ne autem male audiat ipse *Becanus*, ac si fingeret medium
inter fidem, & incredulitatem, fideles & infideles, dum infantibus
fidem actualem derogat, ad loc. Heb. 11. 6. th. 17. & 18. respondet,
quod hæc propositio non sit simpliciter vera, quicquid placet Deo, fidem
habet: nam si de actuâ solâ & propriâ explicaretur, falsam eam
esse asseverat, sin verò indifferenter de quavis fide, sive actuâ pro-
priâ vel alienâ, sive actuâ & habituali, tunc largitur, infantes
etiam justificari fide scilicet alienâ. Quæ tamen responsio vix cui-
quam nisi qui fungum pro cerebro & Peponem pro corde gerit,
arridebit, siquidem hoc ἀπεργαζοῦν dictum, & velle credere paro-
vulorum de fide parentum, (verba sunt Excellent. Dn. D. Præsidis in
anti-Hager. p. 286.) interpretari, tam est ineptum, ac si dictum B.
Virginis. Luc. 1. 14. Pater tuus & ego cum dolore Te quesivimus,
interpretarentur: Tu cum dolore quesivisti patrem & matrem Tuos.

Error Pa-
pistarum
circa obje-
ctâ fidei
quod.

Becanus
alienâ fide
Infantes
salvari pu-
tat.

Becani opi-
nio falsa.

Quantum cumulevantur isti homines, quod Christi justitiâ nos dicamus justos, quâ se pij omnes justos dixerunt à mundi exordio; Verum, quando alienâ fide quempiam credere ipsi comminiscuntur, nihil ipsis absurdum videtur, quanquam contrarium Prophetica & Apostolica Scriptura disertè edicat, quando justum ἰσχυρῶς fide suâ vivere inquit, quod Paul. Gal. 3. v. 11. allegat: δῆλον ὅτι δικαιοσύνη ἐστὶν ἐκ πίστεως. & Heb. 10. v. 38. Imò quis adeò infrunitus, qui *Becano* assentiatur? siquidem perinde est, ac si ego dicerem, hoc est animal, vel vivens, & tamen non propriâ vivit animâ sed alienâ: num *Moguntij* & *Viennæ* alienis volitarint volucres alis, ipse *Becanus* fortean vidit, (& miraculosè ut alter *Clavius* effecit; Jesuitis enim omnia elementa etiam obtemperare coguntur, & quæ in iis degunt) nos nunquam. In eo insuper absurdus est, dum §. 10. 11. 12. 13 *Hutterum*, *Philippum*, *Chytraum*, *Chemnitium*, & *Heerbrandum* dissentire fabulatur, quorum quilibet singulare & diversum sentiat, quando hic infantes fidem actualem, alius motus pios ac inclinationes ad Deum, alter utrumq; illos habere statuat. Nam si loca à Jesuitâ citata apud Auctores perpendantur, tantum abest, ut in diversas abeant opiniones, ut maximè ita concludens fraudulentia accusetur. Etenim quî hinc exculpi possit oppositio: Sp. S. in infantibus operatur fidem per Baptismum, & in iis efficit novos motus, ut *Philippus* loquitur & *Hutterus*; Vel Christus efficax est in infantibus per Baptismum & operatur fidem & alios motus, ut *Chytraeus* loquitur? non videmus: anne vero ignotum Jesuitæ, viro suâ opinione eruditissimo (sunt enim Jesuitæ *Timothei* in domib. *Chrysostomi* in Cathedrâ, *Augustini* in D. sputationib. *Henrico IV.* Gall. Reg. ap. *Lansium* Orat pro Hispaniâ p. 231) Opera Trinitatis ad extra esse indivisa? *Chemnit.* v. & *Heerbrandus* quando ingenuè fatentur, se non plenè intelligere, quomodo Spiritus S. fidem in infantibus operetur, quid aliud, quam modestiæ laudem merentur? Dum se ab arcanis fidei articulis rationem suam suspendunt, ne cum *Usâ* feriantur 2. Sam. 6. 7. nec ignorato modo statim res ipsa ignota simul: *Franciscani* certè, ut & *Cardinalis* de *Turre Crematâ*, *Jodocus Clichtoveus*, *Bellarminus Cocceus*, *Suarez*, *Costerus*, *Pererius*, *Ludovicus à Ponte* ap. *Gerb.* Confess. Cathol. l. 2. special. part. 3. artic. 21.

c. 4. p. 413. 414. multa blaterant de Mariâ liberâ à peccato originali: sed modum illius generationis sanctæ nondum satis explicatura dederunt, nec dabunt etiam. Vid. Gerh d. l. p. 427.

XLIV. Alioquin ut commentum suum verisimile reddat Becanus, sacrarum literarum imperitis, non scripturam producit, sine quâ in hoc puncto tantum virum quicquam proferre dedecet, sed simile quoddam, inquit: *Sicuti nos peccavimus alieno peccato in Adamo, ita & comparatum cum fide infantum.* Verum hoc duplicem animadversionem meretur, cum adversus quos alias videri volunt Jesuitæ arma strenuè semper sumpsisse, ad Photinianorum abeat castra, dum nos non reos iræ divinæ statuit, quod peccatum illud originale alienum vocitat: Si a. alienum, nos extra culpam erimus, quod etiam *Ruardus, Tapperus in artic. de peccato orig.* fatetur inquit: *In puero recens nato nihil invenio, quod peccati rationem habeat.* Favet hæc Responsio & Calvinianis nam si preces Ecclesiæ fidem conciliant pueris, cur non & sanctitas parentum sanctos reddat infantes? Uti quidem volunt *Zyvinglius, Calvinus, Zanchius, Beza, Martyr, Sadeel, Pareus, Trelocatius, Aretius, Alstedius; vid. Sigvv. contra Pareum l. 3. c. 3. artic. 9. p. 496.* Quod tamen negant iterum hodierni, *D. Bergius, D. Job. Crocius & Dn. Theophilus Neubergerus, apud Magnificum & Nobil. Dn. D. Höen in unvermeidlicher rettung adversus Oraculum Dodomeum (in conferentiâ Lips. anno 1630. institutâ) p. 395. 396.* Deinde alienum non esse illud peccatum probat humani generis conditio, quod in lumbis Adæ fuit, pro quo & non duntaxat pro se dono acceperat. Posito tandem (non tamen concessio) alienum fuisse peccatum Adæ, falsa tamen necitur sequela, cum non eadem ratio donorum gratiæ, cum iisdem quæ insunt naturæ per propagationem.

XLV. Imprimis verò in citato cap. more agit suo Becanus, id est, mentitur egregiè, & inter omnes Lutheranos de fide Infantum non convenire comminiscitur, quando ex diversitate verborum, ubi nulla est in sensu, disconvenientiam in re non erubescit fingere, de quo audivimus in §. 43. Ab initio a. c. 2. lib. cit §. 1. p. 484. Lutherum hujus insimulat erroris, quasi statuerit, fidem in infantibus gigni, ante Baptismum vi exorcismi, partim orationibus Ecclesiæ; ut citat ex libro contra *Cochl. & ex lib. de Capt. Babyl. cap. de Baptismo.* Verum nullibi causam organicam fidei

Accusatio
Becani
falsa.

exorcismum Lutherus tradidit, neq; scribit, fidem in infantibus per vim verbi, quo exorcisuntur, gigni, sed infantes credere ad baptismum per vim verbi, quo exorcisuntur, ut sensus sit; In ipso Baptismate (cujus nomine totam illam actionem Sacramenti intelligit) credere, & quod credant, documento esse verba exorcismi, quæ ab Ecclesiâ adhibentur. Igitur verbis (per fidem Ecclesiæ) non causam instrumentalem intelligit, sed testimonium: Aliud insuper est, fides, aliud vicissim media ad fidem ducentia: precibus nostris alijs media equidem ad fidem facientia impetrare possumus, sed non ipsam fidem; & sic totus Discursus, quem *Becanus* octo thesibus cap. 2. lib. 2. comprehendit, corrui.

Error Calviniani circa subjectum fidei Quod.

**I.
Negant
infantes
habere fidem.**

XLVI. Cum Pontificijs verò in controversiâ de Subjecto fidei & Calviniani faciunt, ut ex seq. patet: quippe quorum non pauci plane inficiantur, infantes habere fidem, Alij contra pleno id confirmare ore videntur: sunt tandem, qui mediâ incedere viâ cupiunt. *Calvinus* l. 4. Institut. c. 16, sect. 19. *Zvingli* T. 2. fol. 92. *Beza* in artic. Coll. Momp. part. 2. p. 129. *Pisc.* vol. 1. l. 12. th. 33. *Bucanus* in Institut. loc. 29. quest. 20. p. 303. expressè negativam tenent. *Aretius* v. part. 1. probl. p. 596. dubius esse viderur, cum quo *Sohnius* Tom. 2. p. 393. convenit: *Wendelinus* in Epit. Theol. l. 1. c. 24. th. 8. membr. 5. pag. 451. non omnem adimendam infantibus fidem esse statuit, & si qualis sit explicari non queat. *Tilenus* pag. 433. de fide justif. disp. 40. thes. 18. fidem infantibus inesse saltem, quo ad radicem putat. Cum quo facit *Borichius* in Resp. solido pag. 218, & apud eum *Luc. Drelcatius*. Inst. Theol. l. 2. de Bapt. Carhech. *Ursino*. *Pareanâ* quest. 74. *Baro Wenceslaus Budovezâ* Budovvâ in circulo Horolog. p. 141. & *Gnomone Apologet.* p. 124. 125, &c. Sed integrum non est omnium opiniones hîc recensere, certum tamen est eos, qui negativam tenent, sui immemores alibi sæpè fuisse, quod in *Beza* Volum. 1. fol. 17. videre est, qui omnem peccatorum remissionem, per fidem saltem dari largitur: cum quo *Zanch.* in confess. p. 290. jungendus jam verò horum nemo infantibus derogat remissionem peccatorum, proinde nec fidem derogent, necessum est. Ipse *Wendelinus* dict. loc. hoc utitur, non omnem infantibus adimendam esse fidem, dilemmate: *Si omni prorsus fide carent infantes, ait, vel nulli salvantur; vel, si aliqui sine fide salvantur, gemina erit salutis obtinenda ratio, una pro adul-*

sis, altera pro infantibus, quod, an Scriptura sic conforme, multi dubitant. Imò addimus non dubitandum, sed planè id affirmandum, quia sola fides est medium justificationis & salvationis. Si autem quis Calvinianorum cum *Perkinsio* lib. de *Cas. Consc. pag. 295.* dixerit: quod fide justificentur infantes alienà parentum scilicet ad eundem cum pupillis lapidem impingit. Et quid sentiet talis de Impiorum parentum infantibus morientibus, ii sanè ab impiis nati aut in æternum damnantur, (sed quid, si jam essent prædestinati) aut novà fide immediatè à Deo donantur, quorum utrumque erroneum est. Nec quomodo fides parentum parvulorum sit, satis explicari poterit. Et enim neque id fit per inhæSIONEM, neque per imputationem. Tandem cum *Musculo* pag. 731. in loc. respondere: Parvulos salvari citra fidem, Scripturæ contrariatur.

XLVII. Imprimis verò fidei subjectum non electos solum *Negant fidem reperiri in iis, qui non sunt electi* (non enim jam attendimus ultimum fidei terminum seu perseverantiam,) quod *Beza* vol. 1. fol. 17. *Bucan.* pag. 302. *Piscat.* vol. 1. *Disput. de fide* th. 30. *Zanch.* Tom. 1. *Misc.* fol. 241. *Tileno* *disput.* 40. pag. 432. *Wendel.* lib. 1. pag. 448. *th.* 7. arridet, statuimus. Uti verò in hac controversiâ paulisper subsistamus, nudè *Wendelinus* nobis affingit, ac si in hoc puncto conveniremus cum Pontificiis, dum asserimus etiam in reprobis inveniri fidem; etiam si verbis paulisper conveniamus, (quod tamen *Wendel.* d. 1. non evincit) sensu tamen nos dissentire non nesciat: siquidem illi actu impiis fidem attribuunt, Nos aliquibus, saltem non perseverantibus, adeoque non electis. Præterea, quando inquirunt Pontifici, fidem amitti posse, id de assensu nudo intelligunt, adeoque fide historicâ, aliàs asseverant, *nullo peccato mortali fidem salvificam excuti, & si sit homo fornicarius, adulter, mollis, masculorum concubitor, fur, avarus, ebriosus, maleficus, rapax, ut Conc. Trident. sess. 6. cap. 15.* loquitur. Quid verò hic nos statuamus, docet nostra confessio, quam consulere debuisset *Wendelinus*, antequam nos idem cum Pontificiis de subjecto fidei sentire dixisset. Sed jam ad rem? in solis electis reperiri fidem, probare nititur n. 1. ex quibusdam dictis scripturæ, ut *Tit. 1. v. 1. Actor. 13. v. 48. Ubi fides electorum esse dicitur, credereque quotquot ad vitam ordinati: Hinc Christus apud Johannem cap. 10.*

cap. 10. v. 26. Vos non creditis quia non estis ex ovibus meis. n. v. 2.
 talem profert rationem. Soli electi justificantur & glorificantur E. soli
 electi fide donantur: Ratio conseq. Quia qui fide donantur ii soli ju-
 stificantur. Qui autem justificantur, quoque glorificantur. Roman. 8.
 v. 36. Pergit n. 3. Soli electi sunt membra Christi. E. soli electi do-
 nantur fide justificante: Ratio conseq. quia Christi membra sunt, qui-
 cunque verâ fidem præditi sunt, quia fide inserimur Christo. Ante-
 cedens probatur quia solos electos prædestinavit Deus, quos adoptaret
 in filios per Jesum Christum. Eph. 1. v. 5. Et tandem n. 4. subjungit,
 si fides salvifica cum suis requisitis electis & reprobis communis, nulla à
 posteriori κατ' ἔξωθεν electionis & salutis erunt, cujus tamen certitudo
 dependet ab effectis.

XLVIII. Verum enim verò quod scripturæ dicta spectat,
 ex iis conclusionem hanc vix deducet: Nam ab inclusivâ ad exclu-
 sivam non valere consequentiam norunt tirones. Perinde esset
 ac si dicere vellem: Christus oravit pro electis. E. non pro inimi-
 cis suis. Deus cibavit pios & fideles. E. non impios. 2. Phrasis illa
 (fides est electorum) hoc duntaxat vult, quod κατ' ἔξωθεν iisdem
 tribuatur, quia nimirum præ aliis electorum est, non quia illi, qui
 non sunt ex electorum numero, fidem non habeant, sed quia ele-
 cti, quâ tales sine fide nunquam reperiuntur, & in illâ ad finem us-
 que perseverant. Quemadmodum baptismus fidelium esse dici-
 tur, cum tamen & hypocritarum verus sit baptismus. Hinc *Est bium*
 pag. 861. Specialiter enim electorum meminit, non quod ii soli cre-
 dant in Christum, ut perversè ex b. l. colligunt sectarii, sed quia salus
 ad quam dirigitur fides annunciata, totumq; munus Apostolicum, solis
 ex Dei voluntate, contigit electis. Omnis autem error exinde pul-
 lulare cernitur, quod existimant fidem semel collatam, de quo
 paulo post, amitti non posse.

Resp. ad
 Actor. 13.
 v. 48.

XLIX. Postmodum quando concluditur ex Actor. 13. v. 48.
 Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam: E. solis electis pro-
 pria est fides, caret illud argumentum ratione consequentiæ. Nam
 non facilè quis dabit, hanc sequelam valere. E. qui ad vitam non
 sunt ordinati, non audiunt verbum Dei, quia omnes ad vitam or-
 dinati audiunt verbum Dei, cum inclusiva exclusivam non ponat.
 Ita & h. l. in Actis tum Joh. 10. v. 26. comparatum esse dicimus.
 Nec

Nec dicitur in textu *ορειταγμυροι* (ac si Apostolus sermonem faceret de prædestinatione, quæ etiam nobis fatentibus nõ omnes concernit, sed *τεταγμυροι*, quæ vox apud Plutarchum, Xenophontem & Platonem significat eos, qui apti & idonei sunt, usurpaturque de militibus, qui in acie stantes à statione suâ ne tantillum quidem recedunt. Sensus ergo est: Crediderunt, quotquot ordinem fidei sectabantur; quæ explicatio optimè quadrat cum contextu, qui scilicet Judæi inepti erant, ex se nempe v. 46. 47. Ideò convertit se Paulus ad gentes aptas, v. 48. Vid. *Brochm.* pag. 658. *Gisenium* in Calvinismo disp. 13. §. 27. & de *Zwinglio Calvinismo* fugiendo part. 2. disput. 8 §. 27. pag. 122. & §. 50. pag. 129. *Frantzi-um* de interpretat. Scripturæ Orac. 1. edit. anno 1619. pag. 128. &c. & apud eum verba *Flacii. Egid. Hunni & Brentii*. Nondum autem demonstratum est à *Wendelino* *ορειταγμυροι* ineptos esse ad omnem fidem.

Deinde particula *quia* (quod ad locum *Johan.* citat. sciendum,) non semper *αιτιολογικη* sed sæpe numero ratiocinativa est, id est causam non rei, sed assertionis & illationis notat, ut patet *Luc. 7. v. 47.* Eundem sensum esse hujus loci, patet ex scopo: Quæstio enim erat de signis verarum ovium. Quod ad *Piscat.* etiam Objectionem Vol. 1. disput. de Fide. th. 30. ex dicto. *Johan. 8. v. 46.* reponimus. Similiter non minus falsum est, ex justificatione velle concludere electos: Nam non statim is electus dicens, qui justificatur in tempore, remissio quippe peccatorum ad tempus competere potest, iis qui pereunt. Hoc equidem verum est, non nisi fide donatos justificari, sed consequentiam, qui justificantur, electi sunt, scripturis non esse consonam statuimus, quia aliquis gratiâ excidere potest, & quidem finaliter.

L. Animadversionem etiam mereatur, quod dicit, solos electos fieri membra Christi: Siquidem sunt, qui Christo insiti e-

Resp. ad loc. Job. 10 v. 36.

Membris Christi fieri, num electis solè competat.

jusq; facta membra, non ratione professionis Christianæ solum externè, sed per fidem veram, & tamen vicissim ad priorem iniquitatem redeunt, sicq; se non electos esse, manifestè ostendunt. Expressè enim Christus *Matth. 13, v. 20.* dicit esse quosdam, qui verbum & quidem *μετα χαρης* recipiunt, qui tamen tempore tentationis à fide recedunt. Hinc & Paulus testatur. *Rom. 11. v. 20.*

F

quos-

quosdam excisos esse ex arbore vitæ, cui insiti erant: Excipit quidem Wendelinus pag. 449. ad utrumque, quod in priori non salvifica sed temporalis intelligatur fides, quæ Responsio est ipsius Polani: in posteriori verò negat eos insitos fuisse unquam Christo, qui excisi dicuntur, sed quod insiti sint & κατ' ἀλήθειαν, ἀλλὰ κατὰ δόξαν, id est, sint visi ob externæ doctrinæ professionem; Ita & Pareus & Piscator in comment. At recordari debuisset, non tempus & similes circumstantias rei quidditatem mutare, aut distinctas species constituere, sed modò adjunctum variare. Respondet (verba sunt Meelfureri Abbat. Heilbrunensis dec. 2. vindic. Evangél. disp. 6. §. 68.) pro nobis Calvinista Pet. Bertius. in Hymeneo desertore pag. 59. *Hi mihi videntur dicere, Bucephalum non fuisse verum equum, quia mortuus est. Ad essentiam rei non facit duratio. Visus tam est is, qui unum duntaxat annum durat, quam qui 20. Et sive amittatur visus post annos 20. sive post annum unum, amissio visus vocabitur cæcitas, verus enim visus amittitur. Eadem quoque fidei ratio est, quæ deseri non posset, nisi haberetur. Conferatur latius Meelfurerus d. loc. Magis verò hoc urgemus quod vers. 12. dicti cap. Matth. de tali fide agatur, quâ quis salvus fieri possit: nam si de assensu locutus fuisset, idem dixisset Christus de iis, qui sunt secus viam. 2. Quia insiti Christo dicuntur illi, de quibus Paulus facit verba, renati fuerint necessum est; si quidem nullibi Scriptura dicit per aliud ac regenerationem & fidem nos inseri Christo. Imò potest hæc Responsio retundi ex descriptione fidei in textu: ita enim argumentamur. *Quibus competit zelus Religiosus, Spiritus inhabitans, gustatio beneficiorum Christi, illis fides non saltem κατὰ δόξαν debet attribui. At fide temporali præditis competunt illa priora ex Wendelini sententia tractat. de prædest. cap. 30. Ergo. Et omnes Calvinianos hæc tribuere ωρεσσιοναίεσι refert Bertius d. loc. pag. 60. apud Meelfurerum §. 70. Pergimus ratiocinari. *Ea fides hic describitur, quâ inseruntur gentes olea salutis & fiunt consortes radicis & pinguedines olivæ: quâstant & permanent in bonitate Dei, & obquam amissam iterum excinduntur & pereunt. Sed hæc omnia competunt fidei verè salvificæ.* E. Minor patet ex integro contextu v. 18. 22. &c.**

L. I. Ex

LI. Ex *experientia* desumptam electionis certitudinem quod *An certi-*
 spectat, in eo non convenimus. Negamus enim à fidei præsentis *tudo salu-*
 sensu, semper desumendam esse salutis certitudinem, si quidem *tis semper*
 datur tempus tentationis, ubi quis se credere non sentit, qui nihilo- *sumatur à*
 minus tamen ex numero electorum esse potest: Unde *magnus* *fide.*
Chemnitius pag. 296. part. 1. Concil Trident. inquit: *Ex sensu con-*
solationis & gaudii spiritualis, non semper judicari debet vel potest an
fides sit vera: sensus enim ille non præcedit, sed sequitur fidem. & sæpe
obruitur cruce & tentationibus. Et certè, quomodo Calviniani
 possunt esse certi de sua salute? Si quidem juxta illos numerus Ele-
 ctorum pendet à decreto quod nemo eorum inspexit. Deduces tenta-
 tum ad Dei misericordiam? Metuendum, ne sit tantum voluntas si-
 gni: Ad Christi meritum? sed pro paucissimis est mortuus. Ad pro-
 missiones universales confugies? Ad genera singulorum hæc tantum
 pertinent. Vocationem universalem urgebis? inefficacem eam esse ex
 intentione Dei docent Calviniani. Monebis, ut ad Sacramenta se re-
 cipiant; Respondent non conferri iis gratiam, sed tantum significari,
 & quidem solis electis. Monebis, ut ad internum Spir. S. testimonium
 respiciant? Sed Calvinus simili non nunquam affectu & sensu gratia
 divina dicit affici reprobos. Hæc omnia ex Tarnovio lib. 4. exercit.
 Bibl. de certit. Sal. §. 15. 16. pag. 972. 973. confer Approbationem
 Theolog. Saxon. præmissam libro Marpurgensium contra Casselianos
 pag. 11. 12. Cramerum de prædestinat. cap. 10. à pag. 322. ad 335.
 Heilbr. Syn. Germ. in quart. pag. 76. 77. 2. Nec absurdum est
 dicere: *ωεγοναίπης* habere aliquid commune cum electis, licet
 non eodem modo. Nam hi fidem habent finalem, illi verò
 temporariam, quæ tamen ratione formalis eadem cum electo-
 rum.

LII. Ex quibus cum manifestum sit, fidem non electorum *Fides a-*
 tantum esse: concludimus, eam amitti & excuti posse quod vicis- *mitti pot-*
 sim, non arridet Calvinianis, quando quidem illi cum Anabapti- *est.*
 stis comminiscuntur, justificatos planè non posse amittere Spiri-
 tum Sanctum, adeò ut Davidem in adulterio & homicidio fidem
 non amisisse disertè scribat *Calv. lib. 3. Instit. cap. 2. dist. 11. 12.* & Lo-
 thus eo ipso, cum incestuosus fuit, justus dicitur à Beza in Resp. 2.

ad Acta Coll. Mompelg. pag. 74. Qui etiam de Davide inquit,
quod non rursus fuerit regenerationis spiritu post lapsum donatus, sed
quod ille quasi sopitus jacens iterum divinitus ministerio Nathanis
fuerit excitatus. Unde similitudo ab ebrio, quod ille licet ratio-
nem non amittat in ebrietate, similis tamen videatur bruto, fingi-
tur. Cujus tamen Beza mox immemor, sibi contradicit egregie,
uti clariss. Theologus Menzerus artic. 12. exeg. membr. 6. §. 6. pag.
577. monstrat. Nam fatetur pag. 79. Davidem peritulum fuisse
nisi resipisset: qui autem resipiscit, ad priorem gratiam, quam a-
miserat, redit: & qui perire potest, fidem & gratiam inhabitan-
tem Sp. S. habere nequit. Videantur & alii plures Auctores apud
Mentz. d. l. *Sigvardum contra Paræum* lib. 3. cap. 3. art. 8. pag. 476.
477. & *Tarnovium* Exercitat. Bibl. d. l. pag. 953. 954. 955. Deinde
nec Scriptura ab ipso est partibus, quæ omnem adulterum secun-
dum carnem vivere pronunciat. Qui autem secundum carnem
vivunt, moriuntur, & destituti sunt gratiâ.

*Status cō-
troversie
circa amis-
sionē fidei.*

LIII. Sed antequam quæstionem decidamus, Status contro-
versie ante omnia evolvendus est, qui hic est. Non quæritur sic-
ut hunc statum controversie præter *Tarnovium* pag. 917. 918.
Gerhard. Tom. 4. de B. Oper. §. 134. *Meisner.* ἀνθρώπων. dec. 2.
disp. 19. §. 1. 2. *Steuberum* Controvers. Calvin. disp. 5. *Schafman.*
lib. 3. de prædestin. *Ravenst.* Horto Theologico. pag. 575. *Crocium*
de perseverantiâ S. edit. anno 1616. pag. 10. 11. & anno 1614. pag.
7. 8. 9. *Zanchium* Misc. pag. 453. egregie enucleat Dn. Doct. *Jo-
hann. Winckelmannus* Tom. 6. Gill. disput. 7. pag. 80. & seqq. de
Electis, an finaliter à fide defletere possint, quod inter βδελύματα
Photiniana refertur, sed an renati totaliter & finaliter, electi verò
temporaliter à fide desciscere possint & gratiam excutere. Hic af-
firmativam tenemus, probantes eam exemplis partim, partim
Scripturæ dictis, consequentiisq; firmissimis. *Exempla sunt Saulis.*
1. Sam. 16. *Davidis, Salomonis, Petri;* de quo posteriori quidem
excipiunt, quod Christus petierit, ne ejus fides deficeret, sed illa
precatio non de omni sed finali intelligenda est defectione. Vid.
Tarnov. pag. 947. Item *Thomæ, Simonis Magi, Actor.* 8. v. 14.
Alexandri. 1. Tim. 1. v. 19. *Scripturæ dicta sunt.* Ezech. 18. v. 26. Cum
avertit

averterit se justus à justitia suâ & fecerit iniquitatem, moriatur: ubi quidem conditio reperitur, nec tamen inde sequitur, nihil poni: Nam si possibile est, ut pœnitentiam agat impius, possibile etiam erit pium descissere à fide; Nec textus ille de temporali duntaxat loquitur morte: Minatur enim Sp. S. ibidem mortem quæ non communis omnibus. Vid. Sigvv. contra Pareum p. 467. Cui addimus Matth. 24. 12. Rom. 8. 13. ubi Apostolus de renatis agit, & morte non temporali sed spirituali, quæ in Sp. S. & gratiæ ejusdem excussione consistit. conf. 1. Cor. 6. v. ult. 1. Tim. 1. v. 5. & 6.

LIV. Photinianorum mentem circa hoc subjectum Fidei Quod, ad abundantiam usq; exprimit Socinus de Statu primi hom. pag. 311. ubi referente Stegm. p. 433. disp. 38. qu. 1. eos mente laborare ait, qui fidem infantibus tribuerint, & hoc dicere, simillimum somnio egrotantis, imò ridiculum esse. Moscorovius itidem de Bap. c. 7. p. 122. inquit: nunquam vel ratione vel divino testimonio probabit Smiglecus infantibus habitum (fidei spei charitatis) infundi; apud Stegm. disp. 38. qu. 1. & Hun. Err. Phot. Sect. 3. c. 5. err. 3. p. 506. Et quo suæ faciat opinioni fidem, cum Socino argumentatur: quod si verum esset nostrum dogma, sequeretur animis omnium infantium aliquam in esse Dei cognitionem, cui fidant; quod fieri non possit, quia ipsi id non sentiant & agnoscant, nisi velis actiones in homine, ipso ignorante & fieri, & hominem cognoscere & opinari, & interim quod opinetur aut cognoscat, nescire: apud Stegm. d. l. Quæ etiam Anabaptistæ pugnare ratione, fidem sc. derogantes infantibus ex eâ ratione, quia doceri nequeant. At tum demum sequeretur id, si talem fidem infantibus tribueremus, quæ ex auditu verbi Dei & sensibili fidei exercitio esset. Deinde in infantibus fidem illis ipsis ignorantibus esse posse, non est absurdum dicere: siquidem non fas est, actiones Spirituales ex sensibus dejudicare; Nam & homines adulti regenerari se non statim sentiunt; Ubi tamen non opinioni Papistarum patrociniamur, cui contradictum fuit. fuit. thes. 7. & seqq. quasi fides in ignorantia consistat. Nam ibidem de adultis, hic de infantibus, ibi de actu primo fidei notitia, hic de ejus formalitate secundum quam justificare dicitur, agitur. Hisce quæstionibus jam addi possint sequentia Synquarta; Num

Error Photinianorum circa objectum Fidei: Quod.

in angelos, beatos, hæreticos, Diabolum, fides cadat, numve in Christi animâ fuerit; sed quoniam nullius fermè momenti sunt hæc *προβλήματα*, missa ea facimus. Et hæc de subiecto Fidei *Quod*.

Subiectum fidei Quo.

L.V. *Subiectum Fidei Quo* non sola mens est, doctrinam cognoscens, sed cor & voluntas, eandem sibi doctrinam applicans. Neque tamen hoc statim absurdum aliquis iudicet, quasi nullum accidens numero idem in diversis Subiectis possit esse, ex quo principio Philosophico nos absurditatis Pontificij insimulare audent: siquidem (ut nihil dicam, quosdam Pontificios in hoc puncto nobiscum convenire; videantur verba *Bonaventurae & Thome* apud *Chamier*. Panstr. Cathol. Tom. 3 l. 12. cap. 2. §. 8. 9. pag. 184. (& *Gerhardum* confess. Cathol. l. 2. Spec. part. 3. artic. 23. c. 1. thes. 2. p. 608. 609.) *Augustini & Francisci Cordubensis* c. 4. §. 10. & 12. pag. 185. Idem statuunt etiam ex recentioribus *Zacharias Boverius, Cajetanus, Salmero, Cornelius à Lapide* in cap. 20. ad Rom. *Altenstaig.* in Diction. verbo *Fides*, *Durandus* l. 1. sent. dist. 4. quæst. 3. &c. apud *Gerhardum* d. l. pag. 609. 610) meminisse debent, neminem nostrorum eodem modo fidem in esse menti & voluntati dixisse unquam: cujus assertionis habemus exempla eorum, quæ in diversis Subiectis Quo, reperiuntur: Sic spes est certa expectatio boni futuri, & tamen in intellectu & voluntate sedem ejus collocat *Bellarminus* l. 3. de justificat. c. 11. §. quod autem, Certitudo nempe ad intellectum, expectatio autem ad voluntatem refertur. Sic imago Dei, est in intellectu ratione scientiæ, in voluntate ratione justitiæ.

Fidei. Oppositum quodnam.

L.VI. Oppositum fidei, est *partim carnalis securitas*, quando sibi gratiam Dei firmiter hujus seculi homines pollicentur, ex semel fusis precibus & actu pietatis fucato & si postmodum suis cupiditatibus frena relaxent, & Abronis gaudeant vitâ; *partim multorum vanapersuasio & jaëtantia* de verâ & salvificâ fide, qui tamen neq; in cardinalibus dogmatibus & fundamentalibus satis sunt informati, nec eadem, etiamsi ab alijs Orthodoxis instituti, credunt: *Partim hesitatio, dubitatio, timor, & metus*, quo quis dubitat, an in gratiâ sit, propitiumq; habeat Deum, vitamq; æternam certò sit consecuturus: quod Dogma Pontificijs probatur, qui ut *B. Chemni-*

Dubitatio- nis dogma Papista-
1772.

1776

tius loquitur: *Dubitationem non inter maculas carnis aut infirmitatibus, sed vitutes numerant; ita ut nisi adsit, ornet & commendat fidem, inanis sit hereticorum fiducia.* Hinc Pet. Canisius in Catech. p. 381. *Nullus scire potest certitudine fidei, cui non possit sub esse falsum, se gratiam Dei esse affectum: quod cum Decreto Concilij Trident. convenit. Sess. 6. c. 9. determinante: Fiduciam specialem esse remotam ab omni pietate.* Vide etiam similes conscientiae laqueos passim stratos apud Costerum in Enchirid. c. 4. de fid. p. 182. Bellarm. lib. 3. de Justif. c. 3. §. his erroribus, & longâ serie ap. Dn. D. Gerbardum confes. Cathol. l. 2. Spec. part. 3. artic. 23. c. 5. p. 728. 729. Ut autem Status controversiæ latè propositus à Domino D. Gerbarde d. l. ab initio & Thummiio Exercitat. Theolog. 10. de certitudine salutis p. 3. 4. 5. *Meis. à vθρωπ dec. 3. disp. 29. qu. 1. §. 22. & c. rectè formetur, non quæritur: Utrum homo possit aut debeat in propriâ sanctitate coram Deo confidere, aut eâ in iudicio Dei gloriari.* Nam hæc iustitia multis modis imperfecta est, quare Jobus. c. 9. 11. eam adstruere videretur dicens: *transit præter me, tamen non possum videre: Si transmeat, tamen non animadverto eum; quod Ambrosius Catharimus adversus Pontif. rectè interpretatur; inquit: Jobum non ignorasse, se justum esse, sed noluisse jactare suam justitiam, nec sibi aliquid superbè arrogare.* Quanquam illius dicti secundum fontes genuinus sensus sit: *Non sum is, qui sapientiam & justitiam ejus per vestigare possum, adeo inscrutabilia sunt iudicia ejus & inpervestigabiles viæ ejus.* Rom. 11. v. 33. teste Tremell. in h. l. adeoq; rectius urgetur, Jobi. 11. v. 12. Sed de hoc alibi. Nec 2. *Num homo ex eventibus externis scire possit certè, an sit in gratiâ;* siquidem piorum neminem reperiri putamus, qui non variis casibus infortunij obnoxius fuerit: nihil itaque præ fidij Bellarm. ex Eccl. c. 9. 1. nactus est. Videantur de hoc dicto Excellent. Dn. Prasæ in Anti-Hager. disp. 3. q. 3. §. 3. Resp. 2. p. 100. p. 101. & ibi Merceri, Salmcronis, Pinedæ, Cajetani, Feri, Medina & Catharini, Compse Episcopi teste Senensi. l. 4. Bibliotheca p. 193. autoritates. Et Dn. D. Gerbardus confes. Cathol. d. l. p. 757. 758. Chamier. Tom. 3. l. 13. c. 16. §. 1. ad 16. p. 216. Thummius Exercit. 10. Theol. de certitudine salutis. p. 15. 36. 37. 38. *Multò minus 3. Controvertitur de fide hereticorum, & jactatâ falsò Epicureorum fiduciâ.* Nam in illos veram fiduciam cadere inficias imus.

Status controversiæ circa questionem: An credens certè esse possit de Gratiâ Dei.

Neg.

Neg. 4. lis est, de assensu generali, qui etiã in Diabolo cadere potest.
Neg. 5. hic confundenda per severantiæ certitudo, cum fiduciã singu-
lari de gratiã Dei presenti, quanquam nec de perseverantiã dubi-
tandum, Qui enim cepit in vobis, perficiet usq; in diem Jesu Christi
Phil. 1. & confirmabit nos usque ad finem. 1. Cor. 1. nec quicquam
sive futurum sive præsens nos separabit à Charitate Dei. Rom. 8.
Neg. hic 6. de infirmitate humanã, quam in nobis, prob dolor repe-
rimus, agitur, (quandoquidem sæpe fluctuamus, quando carnis
perversitas certitudinem fidei hostiliter infestat) nam ejusmodi
τελείωσι, quæ sine inquietudine sit, nobis non imaginamur. Va-
rias enim vicissitudines nos experiri Scriptura docet; in eã enim
reperitur, qui jam cum Davide robustus exultat in Domino, mox
cum Petro, infirmorum complet numerum. Imò credentes
navigantibus sunt similes, qui cœlo jam imminent, mox undã
dehilcente ad ima vergunt. Sed de eo 7. disputant nostrates:
Utrum homo penitens & verã fide præditus innitens promissionibus
divinis, certus esse possit ac debeat de presente gratiã Dei & remissione
peccatorum, ubi nos affirmativam tenemus.

Refutatio
Dogmatis
Dubitatio-
nis.

LVII. Probatur autem Thesis nostra, quia Dogma contra-
rium de dubitatione, contradicit Scripturæ Rom. 5. 1. Jacob. 1.
6. Eph. 3. 12. 1. Joh. 3. 14. (quorum dictorum defensionem repe-
ries apud Thumm. d. 1. pag. 24. 25. 26. 27. 28.) mendacij arguit
Deum & perjuriij accusat; Mendacij: 1. Joh. 5. 10. qui credit in fi-
lium Dei habet testimonium in se, qui vero non credit filio, mendacem
facit eum. Quare à dubitatione de hortamur ad spei firmitatem.
Teneamus enim nostræ spei confessionem, non vacillantem. Heb. 10.
v. 23. Quia fidelis is est, qui repromisit. Perjuriij autem Deus ac-
cusatur eò, quoniam sequitur ex hoc dogmate, quasi quod Deus
promisit & juravit, non esset verum. Promisit autem piis & pæ-
nitentibus, (de his enim loquimur) remissionem peccatorum in
individuo. Job. 5. 24. juramento delictorum veniam confirmavit.
Ezech. 18. 23. c. 33. v. 11. Deus autem volens ostendere immobilita-
tem consilij sui, interponit juramentum, præclare inquit Apostolus
Heb. 6. 17. observante Thummio p. 10. 11. ut per duas res immobi-
les (quibus impossibile est mentiri Deum) fortissimum solatium ha-
beamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem. Quam si-
cist

ut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. v. 18. 19. Quæ verba sine dubio, ut lapis quidam fulminaris incedunt ad interiora cordis Pontificiorum (ut ejusdem Pauli vocibus utamur) removentque omne ignorantiae velamen. Accedit, quod qui dubitat, vitam æternam non habebit, sed qui credit: propter quod autem quis damnari poterit. id laudabile esse, impium est, docere.

LVIII *Sed longe majus est argumentum interioris illius investituræ, ut ita dicam, (inquit Chamier d. l. §. 19.) quæ fit in singulis fidelibus & quam Scriptura selectis verbis celebrat: testimonium appellans, & quidem spiritus quod habet in se quisque fidelis, & signaculum & arrhabonem & unctionem & similia, unde sic argumentor: Quod Spiritus Sanctus in nostris obsignat cordibus, id in dubium vocare, & non velle firmiter credere, impium est. Jam verò Sp. S. remissionem peccatorum obsignat & testimonio suo in fidelibus & pijs confirmat. E. De Majoris veritate neminem ambigere posse spero: Minorem vero roborant testimonia Scripturæ clarissima. 1. Joh. 5. v. 10. 2. Cor. 1. v. 21 & seqq. Rom. 8. v. 15. 16. Cui addo promissi divini tuis in fallibilitatem, tum univ ersalitate, siquidem Deus credentibus singulis & omnibus gratiam & remissionem peccatorum promittit. Joh. 3. 13. Act. 20. v. 43. Rom. 10. c. 5. v. 1. & 2. Eph. 3. 12. in Christo habemus *παρρησίαν διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ.* Ubi autem *παρρησία* in exilium agitur, ibi metus servilis & dubitatio succedit. Præterimus hic plura alia argumenta, quæ partim spei firmitas, animum tranquillum reddens nec sinens ire confusum, partim absolutio, partim exauditionis certitudo, partim exemplorum multitudo, uti Davidis, Jobi, Abrahami, Pauli & aliorum suppeditant: siquidem ea latius expensa sunt ab autoribus modo citatis. Consultatur Gerhardus confess. Cathol. l. 2. spec. part. 3. art. 23. c. 1. pag. 592. 593. &c ut etiam pag. 600. 601.*

LIX. Excipiunt Pontificij, quod etiam apud Bellarm. videre *Exceptio:* est, quod 1. fides quidem certissimas habeat promissiones, sed in ap- *nes Bellar-* plicatione singulari, fidem esse incertam ob indignitatem cujusvis in- *mini &* dividui. Deinde in refutat Rom. 8. v. 16. Spiritum Sanctum *aliorum.* testimonium Spiritui nostro dare non negant, sed addunt: hoc *testimonium non esse per verbum expressum, sed per experimentum* *ejus-*

Argumen-
tandi mo-
dus Papi-
starum
circa Do-
gma Dubi-
tationis.

ejusdam suavitatis & pacis internæ, quæ non gignat certitudinem nisi conjecturalem: ut loquitur Bellarm, l. 3. de justif. c. 9. Quare
8. Exempla adducta nihil valere autumant cum Bellarmino l. 30 cap. 11. cum illi viri pauci, peculiari revelatione fortassis certi facti sint de gratiâ. De Abrahamo enim manifestè legi. Gen. 22. 12. nunc cognovi, quod timeas Dominum, id est, nunc cognoscere te feci, quod verus sis cultor & amator Dei.

LX. Quas verò pro suâ thesi hæctenus consueverunt afferre rationes, eas silentio transilimus, cum non solum sufficienter sint refutatae ab Autoribus modò laudatis, sed etiam non impugnent statum controversiæ. Nam concludunt vel ex lapsibus seu infortunio temporali, vel negligunt textum authenticum: vel à confidentiæ operum negatione, argumentantur ad salutis incertitudinem: vel confundunt luctam, cum plenariâ dubitatione: Vid. Bald. in c. 4. ep. ad Rom. part. 2. qu. 3. p. 318. Vel quaerunt subsidium dubitationis, in vocabulis fortè, forsan, quis scit & quæ tamen non de remissione peccatorum, ejusq; certitudine intelligenda sunt, de qua nullo modo est dubitandum, sed (verba sunt D. Waltheri in harmon. S. Scripturæ ad locum. Joel. 2. v. 14.) de corporali pena condonatione & temporalium beneficiorum largitione, quæ ut sub conditione sunt petenda, si nimirum Deo placent & nobis salutaris sit illorum præstatio, ita etiam sub eadem conditione expectari & promitti debent. Hæc ille. Similia habet etiam Ameosius Bell. enervato. T. 4. pag. 152. §. 10. Imò Prophetæ in illis locis, ubi reperiuntur, plærumque cum Impiis & hypocritis agunt, neque semper notæ dubitantis, sed etiam benè sperantis esse solent, adeoque reddi possunt in vernaculâ lingvâ, modo confidenti, & wird sich (sicut loqui solemus) ob Gott will die Straff wol wenden / optime observante Dn. D. Tarnovio comment. in Joel. 2. 14. p. 57. 58. 59. 60. ubi latè de his particulis contra Pontif. desuptat: ut & Thumm. p. 52. 53. Gerb. confess. Cathol. p. 760. 761. Chamier. T. 3. l. 13. c. 16. §. 8. 9. 10. Vel tandem opponunt timorem filialem, (qui tamen securitati carnali contra distinguendus non modo nostratibus docentibus sed etiam Georgio Cassandro, Esthio, & Ambrosio Catharino. apud Gerb. Conf. Cath. p. 762.) certitudini gratiæ; ut in illo dicto Apostolico. Phil. 2. 12. Ubi salutem operari jubemur cum tremore: consulatur Thummus. p. 57.

61. Adl

LXI. Ad Exceptiunculas respondeo (1.) absolum esse con- *Ad Exce-*
cedere velle, Deum omnibus pœnitentibus promississe gratiam *ption. Bel-*
& salutis certitudinem, & tamen negare: in particulari eam spe- *larm. Resp.*
cialibus Individuis posse applicari: Nam si omnes pij & pœni-
tentes pacem cum Deo habent, utique subsumere possum, me ha-
bere pacem cum Deo, quia de admissis doleo & in Christum cre-
do: Deinde tollunt Papistæ eâ fucatâ Responsione distinctionem
fidei Dæmonum & Christianorum; illi enim credunt & sciunt,
Deum promississe pijs gratiam, & tamen id sibi applicare neque-
unt. Videatur Gerhardus confessione Cathol. l. 2. Spec. part. 3.
art. 23. c. 2. §. 3. p. 620. Resp. ad arg. 4.

2. Blasphemum est, dicere Sp. S. testimonium in cordibus pio-
rum non gignere certitudinem, nisi conjecturalem & fallacem,
quæ ipso Bellarmino l. 3. de justificat. c. 2. definitore, *non omnem*
formitudinem expellit, sed opinionis potius est, quam fidei. Nam pax
hæc interna non nisi à causâ divinâ infallibili cordibus hominum
inspiratur, ergo & ipsa infallibilis est. Hinc præclare Cajetanus
apud Ames. d. l. p. 158. *Ex hoc testimonio clarè videmus, creden-*
dum nobis esse, quòd sumus filij Dei. Et: Geminatur nomen patris,
ait, ad significandam firmitatem ac certitudinem fiducia.

3. Quibus verò argumentis, revelationem illam singularem
fuisse, quâ pauci illi viri certi de salute & gratiâ fuere, probabunt
unquam? Siquidem non modò sibi; sed omnibus etiam fideli-
bus gratiam promittit Apostolus. Rom. 8. 38. & 39. neque pecu-
liarem revelationem, causam hujus certitudinis tradit, sed gene-
rales causas omnibus pijs communes, uti sunt, Spiritualis Unio,
reatus sublatio, Sp. S. inhabitatio, ejusdem testificatio, Dei dile-
ctio, gratuita Dei absolutio. Et quid multis? Si ex peculiari
revelatione certi fuissent de gratiâ, tum illa certitudo non fu-
isset certitudo fidei. Sic enim Bannes in 2. 2. qu. 1. art. 1. dub. 3.
apud Amesium p. 163. *Revelata particularibus personis, quamvis*
sint supernaturalia, non pertinent ad assensum fidei Catholica, aut
virtutis Theologica; sed illa tantum, que nota sunt Ecclesie, & ab
illâ proponuntur. At verò de Abrahamo & Davide palam est,
quod de gratiâ Dei certi fuerunt per fidem.

LXII. Malè verò intelligit Papista verba Hebræa Gen. 22. 12. **כי עתה ידעתי כי ירא אלהים** quia nunc cognovi quod timeas Deum tu, quasi sensus esset, ego feci te cognoscere me; quid enim absurdius, quàm fingere, Abrahamum ante id tempus, quò filium immolare voluit, ignorasse vel dubitasse, an verus cultor & amator Dei esset, cum amore & jussu Dei annis 50. ante Chaldeam patriam reliquerit. Thummius p. 21 Quidam ergò (inquit Dn. D. Gerhartus in h. l. pag. 451.) accipiunt de approbatione; cum verba notitiæ apud Hebræos accipiantur cum effectu & affectu e.g. Psalm. 1. 6 novit Deus viam justorum, id est promovet, approbat &c. Sicut cum **ידעתי** explicat Coppenius in notis ad illum locum pag. 16, Sic etiam hic: nunc cognovi quod Deum timeas id est, (pergit Gerb. d. l.) hoc opus obedientiæ approbo, tanquam insigne testimonium filialis timoris & sinceri amoris; ita cum Hilario Waltherus in Harmon. Scripturæ pag. 106. in quarto. Quidam exponunt de manifestatione alijs factâ, ita Aug. l. 4. de Genesi ad lit. c. 9 l. 16. de C. D. cap. 32. & in Psalm. 78. Sed hæc expositio contorta videtur Walthero d. l. Quia ergo Deus non de Abraham, nec aliorum, sed de suâ notitiâ loquitur, simplicissimè dicitur cum Gerhardo pag. 452. Deum hic loqui more humano, de notitiâ Practicâ, & experimentalis, quod Deus jam ante quidem mentem Abrahæ optimè perspectum habuerit, jam verò ex ipso opere hominum more eam intueatur.

Effecta Fidei.

LXIII. Effecta fidei sunt multa & varia, cum sit instar arboris bonæ, quæ fructum fert in tempore Psalm. 1. vers. 4 sunt autem imprimis regeneratio, sanctificatio, remissio peccatorum, liberatio à Legis damnatione, securitas spiritualis, victoria mundi, tranquillitas conscientie, accessus ad Deum, obsignatio Veritatis, Confessio, spes futura gloriæ, Justificatio, Electio, Caritas Dei & proximi, obedientia erga præcepta divina &c. circa quæ à nobis divorcium faciunt, non modo Pontificij, sed Remonstrantes, Photiniani, Calviniani.

Error Pontificiorum circa Effecta Fidei.

LXIV. Pontificij variè hallucinantur, partim solam fidem justificare negando ut faciunt Conc. Trid. Sess. 6. Decret. de Justif. 6. cap. 9.

cap. 9. & 12. Bellarm. lib. 1. de Justific. c. 12. §. ultimo. & lib. 2. 7.
de Justific. cap. 4. hinc *Petrus Hansonius*, fidem nostram vocat fi- *Solam fidē*
dem superbam & fastuosam, *Clingius*, contumeliosam, *Job. à Da-* *justificare*
ventriā, figmentum Diabolicum, *Frater Nasß*: den alten Zeubes *negant.*
rischen Simonis Aberglauben / Fastnachtsglauben / Würstglaub-
ben / Solnglauben / fast Sultanschen glauben &c. apud *Gerhard.*
Confess. Cathol. lib. 2. spec. part. 3. artic. 23. cap. 3. pag. 624. Par-
tim charitatem, formale fidei ineptissimè constituendo; quam sen-
tentiam fovent *Benedictus Pererius* in cap. 15. *Genes. Franc. Tur-*
rianus pro Epistolis Decretal. lib. 4. cap. 4. *Orosius* dominic. 3. Pen-
tecost. conc. 2. *Alphonsus de Castro* lib. 7. adversus hæreses verbo
Fides, hæresi 2. apud *Gerhardum* d. loc. pag. 625. partim contradi-
ctione se implicando, dum charitatem fide abesse posse commi-
niscuntur, ut *Bellarmino*. lib. 1. de Justific. cap. 15. *Dominicus à Soto,*
Alphonsus à Castro, & Costerus in *Enchirid.* pag. 178. apud *Gerhard.*
Confess. Cathol. pag. 673. Quoad primum: fatentur quidem
hominem fide justificari, sed id ita accipiunt, quod credentibus si-
ve assentientibus verbo Dei in genere, gratia infundatur, præeun-
tibus præparationis operibus, acquisita, quâ apud Deum justifi-
centur fideles; proinde apud istos *fide justificari*, non est justum
fieri *ἐνεργεία*, sed *διωδόμεν* id est gratiam accipere, cujus auxilio
unusquisq; se ad salutem componere possit. Vid. *Meisner. ἀνθρώπων*
πρὸς dec. 3. disp. 27. qu. 1. §. 15. &c. Unde liquet quanto potior
est actus nudâ potentiâ, tanto plura eos in justificationis negotio
sibi quam Deo tribuere. Orthodoxorum autem thesis hæc est,
justificatio est effectus fidei, & fides actum justificationis sine ope-
ribus ingreditur, non per modum dispositionis, aut causæ forma-
lis, aut meriti, sed per modum Organi, quatenus gratiam Dei per
Christum partam & exhibitam apprehendit. Quare Metonymi-
cam propositionem hanc esse fatemur: fides nos justificat, id est,
Deus credentem justificat propter Christi meritum, quod credens
solâ fide apprehendit. Vid. *Gerhard.* sæpè citatum d. 1. pag. 683.
n. 11. *Chamier pausnat.* Cath. Tom 3. lib. 2. 2. cap. 11. §. 5. pag. 475.
& §. 12. 16. *Meisner, ἀνθρώπων λόγ.* dec. 3. disput. 27. qu. 1. §. 28. 29.
30. 36.

**Q. An vox
sola repe-
riatur in
sacris.**

LXV. Hanc thesin probamus ex Rom. 3. v. 24. Ubi tantum non disputatur: *an ἀπολεξεί illic in textu gr. reperiatur vox sola.* Sufficit enim dari æquipollentem; explicationemq; Lutheri exponere nativam Apostoli mentem. Jam autem ἰσοδυναμῶντα sunt: justificari fide sine operibus, justificari non nisi per fidem. Gal. 2. v. 16. & justificari sola fide. Taceo non destitui hanc versionem Lutheri, similibus exemplis Hebraicæ, Græcæ & Latinæ versionis, quæ recensentur à Gerbaro Confess. Cathol. d. 1. §. 2. pag. 668. 669. Helvico vindicat. LL. Vet. Testam. pag. 182. 183. Mentzer. contr. Pistor. disp. 5. §. 268. Imò Syrus expressè habet vocem exclusivam. Rom. 4. v. 5. citantibus Gerbaro & Helv. d. 1. unde particula sola Patribus non infrequens, uti Hieron. Ambros. Chrysof. Theoph. Basil. Hilar. Accedit tandem quod Dietersbergerus & Eccius in versione suâ Germanicâ, Ingolstadii anno 1550. per Alexandr. & Samuelem Weisshorn impressâ, particulas εἰμὴ, ἐὰν μὴ, per alleine explicent. Ostendente Gerbaro Confess. Cathol. pag. 670. 671. Reibingius (adhuc Pontificius) in Manuali Catholico contra Dn. D. Hoë. pag. 392. fatetur, in Bibliis Germanicis ante Luther. anno 1483. Noribergæ apud Antonium Coburgerum impressis extare exclusivam allein. D. Mentzerus artic. 4. de justificat. membr. 4. §. 20. edit. anno 1616. pag. 181. inquit: *In Bibliis Italicis. Anno 1546. excusis Venetiis verba D. Pauli. Gal. 2. ita reddita sunt: Sapendo che l'huomo non si giustica da le opere de la legge ma solo per la fede di Giesu Christo: Et inspexi (pergit.) Confluentiæ in Bibliotheca Jesuitarum, antiqua Biblia Germanica ante Luth. edita, in quibus habetur. Rom. 3. part. exclusiva: Allein durch den Glauben/ ohne die Wercke der &c. id est, legis. Neque 2. (consulatur. Meisner. ἀνθρώπων. disp. 28. class. 10. §. 57.) An Fides justificans sola sit sine operibus, controvertitur: Nam fides talis, res mortua Apostolo dicitur, adeoq; exclusiva particula non opera excludit, ab actu præsentia, docente Dn. D. Gerharo. confess. Cathol. lib. 2. part. 3. artic. 23. cap. 3. §. 5, sed communicatione efficientiæ (quod posterius quidem vult Bellarmin. lib. 4. de justificat. cap. 7. §. 3.) Sed lis est.*

3. Utrum sola fides, an verò opera nostri respectu organon sit,
Et casus.

Et causa efficiens instrumentalis (latè sic loquendo) justificationis:
Et sic affirmativam tenemus, partim ob operum ab actu justificationis exclusionem, partim fidei & operum oppositionem, partim Christi meritum & satisfactionem, partim peccatorum gratis factam remissionem, & justitiæ Christi imputationem, ubi tamen Sacramenta, & in specie Baptismum non excludimus, *Gerhardus* Confess. Cathol. d. loc. pag. 622. §. 3. ut cæcus ille *ὄδνός* in *Hodoget*: suo. pag. 199. ineptè ratiocinatur. Nam quæstio est, quodnam respectu nostri sit organon? baptismus autem est Dei. Sed hæc explicari in loco de justificatione merenrur prolixius.

LXVI. Quoad errorem alterum, quo fidei non effectum tantum charitatem, sed ipsum ejus formalem rationem fingunt, sciendum: id propterea ab iis fieri, quo distinctionem Scholasticam inter *fidem informem*, quæ in nudo assensu & historicâ cognitione secundum eos consistit, & *formatam*, quæ piæ affectionis & charitatis accessione locupletatur, defendant. Nos fidei formale constituimus in fiducia illâ filiali, quæ sine cordis motu nunquam esse potest, & charitatem, ceu essenziale consequens concomitantem habet, quod *Bellarminus* etiam sui immemor lib. 1. de *Justificat.* cap. 15. fateri videtur, dum charitatem ex fide gigni asserit. Nos cum *Mentzero* contra *Pistorium* disput. 5. §. 122. pag. 242. argumentamur ita: *Nullum disparatum est alterius disparati forma: Fides & charitas sunt disparata*, quia à se invicem tanquam diversæ virtutes. 1. *Corinth.* 13. v. 3. discernuntur. Ergò. Deinde hoc nobis largientur illi Pontificiorum, qui fidem in intellectu tantum esse statuunt. Etenim si fidei Subjectum *Quo* est intellectus, formale ejus caritas, quæ est in voluntate, nequit esse. Quod hic excipiant, non habent. *Pistorius* tamen in *Hodoget.* pag. 209. & *Bellarminus* lib. 2. de *Justificat.* cap. 4. urgent dictum. *Galat.* 5. v. 6. *Fides per charitatem operatur*; in quo vocabulum operatur, passivè intelligunt, fides per charitatem operosa redditur, *Pistorio.* pag. 209. & 215. interprete, vel pag. 189. *Der Glaube wird durch die Liebe thätig gemacht.*

2.
*Charitatem
fidei formale
constituunt.*

Sedi

Sed non tam refutationem, quam miserationem merentur. Nam
vocem ἐνεργουμένη, passivè poni, probent prius, si præsidium suæ
opinionis hoc dicto inveniri putant: Quare Pistori: audi errores
tuos (inquit *Mentzerus* d. loc. pag. 241.) 1. *Vapulat* à te (*Bellarmino*,
Stapletono, *Esthio*, & aliis) *Priscianus*: contraq; grammat-
ticam, (ait *Pareus* in h. l. pag. 364.) manifesto barbarismo verbum
deponens operatur, exponitur passivè: quod & *Balduinus* in h. l.
qu. 2. pag. 261. urget. 2. neque græca vox ἐνεργουμένη in toto
N. Testam. reperitur passivè usurpata, quâ præter hunc locum
Paulus septies (observantibus *Mentzero* & *Balduino* d. loc.) Jutitur,
ut Rom. 7. v. 5. 2. Cor. 1. v. 6. cap. 4. v. 12. Eph. 3. v. 20. Coloss. 1. v. 29.
1. Thess. 2. v. 13. 2. Thess. 2. v. 7. & semel *Jacobus* cap. 5. v. 16. Quæ
tamen loca impudentissimè *Esthio* in h. l. p. 581. in passivâ ἡγε-
γός exponit. 3. neque constructio græca sensum fert Pontifi-
cium: siquidem dicendum fuisset ἐνεργουμένη παρ' ἀγάπης. 4.
Longè rectius *Lombardus* hunc locum allegat l. 3. sent. dist. 23. per
fidem, inquit, justificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat, per di-
lectionem operari. Concil. quoque *Tridentinum* sess. 6. activam si-
gnificationem hic agnoscit: ita enim loquitur ex Apostolo no-
stro: in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, nec præputium,
sed fides, per charitatem operatur. *Bellarminus* ipse cap. 5. & 20.
l. 2. de justif. vocat fidem per dilectionem operantem, & sic à semet-
ipso turpiter discedit. *Erasmus* quoque in h. loc. pag. 463. fate-
tur. Τὸ ἐνεργουμένη, rectius agens verti. Præclarè etiam *Michael*
Medina defendens *Johannis Feri* expositionem super Joh. 4. v. 53.
contra *Sotum* inquit apud *Sixtum Senensem* Biblioth. Sanct. lib. 6.
annot. 191. pag. 496. C. 1. Est enim vera fides, ait, veritate Chri-
stianâ, de quâ semper Christiani loquimur, quæ cum constet etiam fer-
vidâ & efficaci dilectione, semper si potest, exit in opera, & denique,
quam *Paulus* vocat operantem per dilectionem. Et in margine ci-
tatur locus. Galat. 5. v. 6. 5. Syrum textum quidem passivè di-
ctum illud efferre quidam non negant, cum legat: secundum Tre-
mell. fides quæ perficitur dilectione: sed num versio textui authen-
tico præferatur judicent ipsi Pontificii. Vide *Glassium* l. 1. Philol.
S. tract. 2. part. 1. membr. 3. §. 4. pag. 169. *Chamier*. Tom. 1. lib. 12.
cap. 1.

cap. 1. §. 13. 14. 6. Est tamen nonnullus; scilicet *M. Philip. Arnoldi*, qui ante annos viginti & unum habitâ hac in Academia Disp. 1. Hægeographicâ Thes. 43. ad 46. evincere conatur, & Textum Syrum activè explicandum esse, negatus, respondeo: sufficienter, quomodo dicitur, lingua Syriaca non est authentica. Ille ipse potest l. d. consuli.

LXVII. Tertiò caritatem à verâ fide & salvificâ abesse posse comminiscuntur; quod tamen falsum, siquidem 1. perinde est, ac si hominem aliquem dicere vellem & tamen ipsi vitales detrahere operationes. 2. Sibi contradicunt, qui enim sic forma ejus esse potest? Anne sublata formâ manet nihil minus res? Sic certâ ratione corpus non minus esset verum corpus, quando privatum est Spiritu, ac quando ab eodem informatur, quod sanè cuivis sano risum conciliat: Siquidem id nihil est aliud quam ægilopem pro frumento puro, siliquas pro granis vendere: Deinde fideles isti tantum ita dicuntur ratione professionis externæ, & comparatè respectu Turcarum alioquin proprie si loqui velimus, istos infidelium complere numerum, dicendum.

LXVIII. II. Errant & Calviniani circa effecta Fidei. 1. Fidem ne-
dem Electionis decretum ingredi, ejusque esse causam instru-
mentalem, sive causam sine quâ non, inficiando. Vid. *Verba*
Calvini l. 3. instit. cap. 22. §. 11. *Beza* Resp. 2. ad acta colloq.
Mampelg pag. 9. & pag. 147. pag. 163. *Zanchij* Tom. 1. miscel.
pag. 241. *Pisc.* Vol. 1. Loc. 19. thes. 25. & disp. contra *Schaffm.* §.
88. *Polani* de prædestinat. pag. 12 pag. 13. pag. 49. *Keckerm.* Sy-
stem. Theolog. pag. 300. *Wendelini* l. 1. Christ. Theolog. cap. 3.
pag. 124. apud *Dn. D. Himmelium* Collegio Iren. disp. 6. ἀντιθεσ.
2. pag. 111 112. *Bucani* loc. 36. Instit. pag. 389. apud eundem in
harmon. *Calvino* Pontif. part 1 cap. 4. harmon. 1. pag. 46. B.
confer similia Calvinianorum emblemata apud *Giesenium* extan-
tia in repurgat. Collegij Rintelensis disc. 2. §. 2. pag. 34. 35. ubi
& Synodi Dordrechtanæ clara proferuntur verba: & repetun-
tur disc. 3 §. 14. & 15. pag. 87. 2. Justificationem Effectum ad
æquatum fidei negando: Nam *Zwvinglius* in fidei Christiana expo-
sitione fol. 559 (in quo eum refutavit *Dn. D. Affelmannus* Syllog. 3.

3.
Cavitatem
à verâ fide
abesse posse
statuunt.

Error Cal-
vinianorū
circa effe-
cta Fidei.
1.

Fidem ne-
gant ele-
ctionis esse
causam.

2.
Justifica-
tionem esse

Effectum ad
æquatum ad-

quatum
inficias
eunt.

H

Anti-Calvinistico pag. 29. ad 32 *Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonom, Numam, Camillum, Catones, Scipiones*, qui tamen caruere fide in Christum, inter beatos memorat: quem errorem communem habet cum nonnullis è *Pontificijs* qui vel hominem lege naturæ salvari posse asseverant, ut faciunt *Tannerus, Latomus & Erasmus* in Præfat. in *Tuscul. quæst.* apud *Velfstemium* *Disp.* 3. *Ethic. quæst.* 4. & *Strauchium* *Centur.* 1. *Ethica Dec.* 5. *quæst.* 9. vel etiam *Heroas* singulari Dei beneficio illustratos esse affirmant, ut *Justinianus* in *cap. 1. ad Rom. v. 20.* & *Lud. Vives* *comment. in l. 18. Augustin. de C. D. cap. 47.* apud *Excellent. D. D. Præsidem* *disp.* 2. de *indebitâ gratiâ thes. 9. §. 2.* tum *Photinians* ut *Smalcio* de *nat. Dei filio cap. 10.* & aliis. *Justificationem* in *Vet. Test.* factam fuisse sine fide Christi, dicentibus. Quod autem fides sit pars Ordinis, quem Deus in hominibus eligendis seruet, probatur 1. *ex Script. autoritate.* 2. *Thess. 2. vers. 13. Elegit nos Deus ab initio ad salutem in fide veritatis.* 2. à *Decreti & executionis conformitate.* Quomodo enim Deus in tempore salvat, ita & ab æt. nos elegit: Fatentur non modò *Patres, Fulgentius & Bernhardus* apud *Giesenium* in *Calvin. disp.* 11. §. 2 & 3, sed & *Calviniani ipsi; Sobnius* *Tom. 1. disp.* 12. de *prædest. §. 8.* & *Tom. 2. artic. de prædestinat. pag. 992.* clarè inquit: *Vocatio efficax respondet prædestinationi ab æterno factæ, ita, ut quod nunc facit Deus de homine efficaciter vocando, id facere ab æterno decreverit.* Idem repetit *pag. 1000. & 1008.* multisque deducit. *pag. 1004. 1005. 1006.* Similia vide apud *Alstedium* *Theolog. Polem. pag. 9. d. 3. controvers. 27. pag. 574. Job. Crocium* *part. 2. controvers. Pruten. pag. 518. Wendelinum* ex *mente Synodi Dordracenæ* *lib. 1. cap. 4. §. 6. n. 2. pag. 145.* Sed Deus salvat perfidem. 3. *A Vita æternæ hæreditate*, in quam nemo sine fide adiscitur, aut in electione assumpti sumus, in hæreditatem vitæ æternæ. Ergo id sine fidei monitu fieri non potuit. 4. à *satisfactionis necessitate.* Electio præsupponit gratiam, hæc vero justitiæ, quæ peccato læsa, satisfactionem. Satisfacimus E. vel ipsi vel per alium: Non illud, sed hoc, Christus enim se tradidit pro nobis: satisfactio autem

quod probatur tandem.

1.

à Scripturæ autoritate.

2.

à Decreti & executionis conformitate.

3.

à vitæ æternæ hæreditate.

4.

à satisfactionis necessitate.

autem hæc non fit nostra nisi per fidem. 3. Patrum consentien-
 tium antiquitate. Theophyl. Hieron. Chrysof. Ambrosij: Non a hoc
 volunt Orthodoxi quasi propter fidem sumus electi, sive ob præcogni-
 tam fidem, tanquam causam meritoriam, aut fidei dignitatem, sed
 in fide & per fidem; non $\Delta\lambda\gamma\ \tau\lambda\omega\ \pi\acute{\iota}\sigma\tau\upsilon$ ut Græci efferunt, sed $\Delta\lambda\gamma\ \tau\eta\varsigma\ \pi\acute{\iota}\sigma\tau\epsilon\ \Theta\epsilon\upsilon$. Fides E. consideratur non absolutè sed relatè, non
 divisim sed conjunctim cum merito Christi. Quare Fides Ele-
 ctionis est causa, non impellens, non meritoria sed modò organica, &
 quidem ratione non totius decreti, sed partis nempe meriti Christi
 quod fides apprehendit. Confer Cramerum de prædestinat. cap. 3.
 pag. 68 & Gysenium disp. 13. §. 20. &c. Neque intelligitur de fide
 $\omega\epsilon\gamma\omega\kappa\alpha\iota\pi\omega\upsilon$ sed finaliter perseverantis.

3.
 Patrum
 antiqui-
 tate.
 Status cõ-
 troversie.

LXIX. Sed ajunt Calviniani Electionem non esse effe-
 ctum fidei: quia illa ab æt. fit facta, hæc verò in tempore acqui-
 ratur. Contrarium ergo: 2. fidem esse effectum sive electionis
 consequens potius verum esse. Sed Resp. ad (1) primo aliud est
 querere de fidei existentia, & aliud de ejus intuitu. Credimus
 quidem in tempore, attamen Electi sumus $\kappa\alpha\tau\alpha\ \omega\epsilon\gamma\gamma\omega\omega\upsilon$,
 Rom. 8. v. 29. 1 Pet. 1. v. 1.2. quæ fit secundum fidem. Deinde;
 idem, cujus est effectum non est causa ejusdem simul scil. eodem
 modo: implicaret enim contradictionem; alias una eademq;
 res & causa & effectum potest esse; dicente Aristotele lib. 3. phys.
 cap. 3. 1. Metaph. 2. Uti exempla nota sunt ex Philosophicis. Li-
 mitetur E. Major. Effectum non est causa formaliter; attamen
 materialiter & sub alia $\alpha\lambda\epsilon\theta\epsilon\lambda$ Ad 2. Fides Effectum dicitur
 (populariter scil. & oratorie non verò accuratè) electionis, ratione
 ipsius actus, qui est in tempore, ratione verò intuitus divini, qui
 ab æterno factus à Deo, est causa improprie sic dicta, quando cau-
 sa significat omne id, quod est antecedens. Si enim accuratè lo-
 qui vellemus, fides effectum est gratiæ & meriti Christi in Ev-
 angelio annunciati; pars verò Electionis. (Nam ut liberi sunt
 parentum effectus & tamen cum ipsis pars sunt societatis domesti-
 cæ, ita & hic comparatum esse dicimus.) Vel fides est causa Instru-
 mentalis electionis, non quod Electionem apprehendat, sed quod sibi
 applicet meritum Christi, in quo fundatur gratia divina.

Exceptio.
 nes Calvi-
 nianorū.
 Resp. aliud
 est quere-
 re de fidei
 existentia
 & ejus in-
 tuitu.

Fides quo-
 modo effe-
 ctum &
 causa Ele-
 ctionis.

Arminia-
morum Er-
ror.

LXX. Arminiani hic etiam errant & intransversum aguntur. Statuunt enim fidei Formam esse obedientiam seu mandatorum Christi observationem, quæ sententia est, *Vorstij* in *Catal. errorum Gibrandi Luberti*. pag. 62. *Velsingij* tract. de off. hom. Christi fol. B 6. 7. *Reasonstrantium in Confess.* cap. II. num. 2. Inprimis in *Apol. Confess.* pag. 110. III. seqq. Cum quibus & Photiniani sunt conjungendi, qui quidditatem fidei æquè per ejus effectum describunt. Nam ex quo (scilicet obedientiâ) fides cognoscitur, id ejus formalem rationem constituunt. Videatur *Catech. Racov.* pag. 281. Ubi tamen hoc notamus, nos libenter dare, *obedientes Deo, credentes appellari & fidem sine obedientiâ non reperiri*. Nam ut sol non sine calore, neque bona arbor sine bonis fructibus, ita & fides non sine obedientia; Hinc benè *Gerhardus* in aphorism. pract. pag. 184. Fides lux est, *separat splendorem à luce & opera separare poteris à fide*, attamen ἀνακόλῃον est dicere, quod propterea hoc consequens fidei sit forma ejus, uti *Smalcus* vult; qui *Disp. 6* contra *Frantz.* de bonis operibus. *Thef. 63.* fidem & obedientiam mandatis Dei & Christi præstandam, æquipolentes terminos, & non nisi ratione distingvi disputat; quam πῖσιw vocari ὑπακοήν non negemus, alio tamen sensu. Alia siquidem est obedientia quâ obedimus Deo mandanti, ut credamus Filio ejus, & alia obedientia sanctimoniz seu vitæ puritatis, non illam sed hanc *Photiniani & Arminiani* intelligunt; adeoque operibus salutem ascribunt cum *Pontificijs.* Verum latiore hujus controversiæ διασκεψιν ad locum de *Justificat.* ablegantes, pergimus ad fidei adjunctum & cognata.

Adjunctū
fidei.

LXXI. *Adjunctum* ergo Individuum fidei est spes. *Heb. 11.* v. 1. Quæ nihil aliud est quam constans expectatio plenæ fruitionis eorum; quæ verè à Deo promissa fides creditur: hinc inter se ambæ conveniunt, quod utraq; feratur in res æternas promissas nobis à Deo; Differunt verò quod fides apprehendat præsentia, spes verò futura.

LXXII. *Cognata* sunt 1. Quod fides in omnibus tam electis quàm renasis, tum infantibus tum adultis cum in Novo
tum

tūm in Veteri Testamento una sit, Ephes. 4. v. 5. non multi-
plex; Specie sc. licet non numero. Hab. 2. v. 4. *Secundo*
quod fides sit vel firma vel infirma. Non enim semper, nec
in omnibus fax ardens est, sed sæpe linum. Es. 42. 2. tantum
fumigans, scintillaque ob parvitatem suam vix conspicua,
sic erat magna fides in Centurione. Matth. 8. v. 8. & Mulie-
re Cananea c. 15. 28. Attamen datur & imbecillis Rom. 14.
21. Absit verò ut hac distinctione Scholasticorum com-
mentum de fide implicita & explicita statuinemus. Quip-
pe fidem illi derogari qui implicitè credit, è superioribus
liquet: Non enim in ignorantia, sed Dei cognitione ea
consistit. Vide Bald. Casib. Conscien. l. 2. c. 1. cas. 6. §. 57. Be-
nè autem notandum est, fidem imbecillem æquè justificare
ac robustam. Hæc enim Operatio ipsi attribuitur ratione
Objecti, quare si fides in Objecto non hallucinatur, sed in-
ter trepidationes illud apprehendit, fiducia quanquam lan-
gvida, est quidem infirma & modica fides, vera tamen: *etiam*
exigua fides, ait Gerb. in Aphor. Pract. p. 191. Christum, ut gem-
nam complectitur, ideò Deus eam intuetur, sicut gemma in orna-
tu elucet. Etiam si fides tua inquit Brentius in Es. 42. 2. nec lu-
cem hominibus nec calorem cordi tuo afferat, tamen eam non
abjiciet Christus, modo incrementum ores. Nam Sp S. clamans
in corde nostro. Rom 8. 15. v. 26. 27. Infirmitati huic mede-
tur, per verbi divini auditum Rom. 10. v. 14. Psal. 119. v. 93.
per Sacramentorum usum, Rom. 4. 11. 1. Pet. 3. 21. Et per
preces assiduas Pl. 51. 12. Marc. 9. 24. siquidem hæ transfe-
runt non modo montes persecutionum, sed & tentationum
ac dubitationum Dn. D. Gerbard. d. l. & Marc. 11. v. 23. p. 188.
Confer. Dn. D. Balduinus l. 3. c. 4. Cas. 12. Conscien. *Alsted.*
Theol. Casuum c. 5. regul. 1. p. 58 59. 60. 61. 62. Ludovicus
Dunte Casib. Conscien. c. 20. sect. priori quæst. 3. p. 496. Im-
mittit autem Deus sanctisque viris talem animi trepitatio-
nem ne quis frena relaxet cupiditatibus & peccatis, quibus
Spiritus S. gratia & fides excutitur, Eph. 4. 3. 1. Tim. 1. 10.

LXXIII. Tandem in descriptione Fidei sequitur finis; *Fidei Finis.*

G 3

qui

qui duplex est, gloria nempe Dei, & salus nostra, quæ sine fide non obtinetur. Nam quicumque æternæ vitæ hæres esse & fieri percipit, testimonium obtineat se placere Deo. Quia verò id, teste Apostolo, sine fide fieri impossibile ducitur, concludimus non minus singulos vitam æternam sperantes opus habere fide, ac volucres alis, aut fructus vivæ radice arboris. Sed jam contrahimus vela, Deoque supremo hujus navigationis Patrono pro felicissimâ ad portum deductione gratias depromimus humillimas, & quia versamur in magno hujus vitæ diluvio; ubi circumstantibus agitamur procellis, & non invenitur fida statio & locus eminentior, ubi pes columbæ valeat aliquatenus requiescere: nusquam tuta pax, nusquam securâ quies: ubiq; bella & lites, ubiq; hostes; foris pugna, intus, timores; præbe nobis Domine (suspiramus cum Augustin. Meditationib. cap. 37 §. 3. & §. 9.) contemplationis pennas, quibus induti, ad te volitemus sursum: & quia omne sinistrum deorsum jacet, tene mentem nostram, ne ad ima tenebrose vallis corruat: ne interveniente umbrâ terra à te vero justitiæ sole separemur: Et obductâ tenebrarum nebulâ, prohibeamur atq; respicere. Ita fiet ô DEUS!

F I N I S.

Errata graviora sic corriguntor:

Thes. 1. lin. 8. leg. $\pi\epsilon\acute{\iota}\delta\omega$, & lin. 24 leg. dilatationem, & lin. 25. leg. *Steuch.* Tb 5. l. 12. leg. quamvis. Tb. 6. l. 2. leg. divini. Tb. 8. l. 2. leg. contrarietur. Tb. 9. l. 1. leg. de facili, l. 24. leg. tum & l. 30. leg. promptum. Tb. 10. l. 6 7. leg. cognitione, l. 11. leg. dubiis, l. 15. pro docet leg. vocat, & lin. 22. leg. $\delta\eta\lambda\eta\sigma\iota\omega$. Tb. 16. l. 2. leg. Sociniani, & l. 20. pro è leg. est. Tb. 17. l. 8. leg. cum. Tb. 19. l. 1. pro ut leg. ubi. Tb. 23. l. 15. leg. à fiducia, Tb. 24. l. 20. pro ex leg. &. Tb. 25. l. 27. leg. $\alpha\nu\alpha\iota\delta\eta\sigma\iota\alpha$. Tb. 29. l. 4. leg. ipsi. Tb. 33. l. 11. leg. Ex Steinio. Tb. 35. l. 1. leg. pleriq³. lin. 14. pro faciat leg. fuit. Tb. 39. l. 13. leg. Scultetus. Tb. 42. l. 11. leg. Thomam. Tb. 47. l. 29 leg. fide. *Thes.* 49. l. 15. leg. quia lin. 22. lege $\omega\epsilon\gamma\omicron\alpha\iota\pi\alpha\varsigma$ *Thes.* 50. l. 1. leg. metetur. *Thes.* 53. l. 6. leg. Ravensberg. l. 23. leg. desciscere.

Reliqua quæ sunt leviora Lector pro suâ æquitate
corriget.

Eintrag graviter de consuetudine

Diele ist ein gewisses, das in der...
Stundt die...
...
...
...
...
...
...
...
...
...
...

Reliqua sunt...
...
...



05 A 2755

ULB Halle
003 782 840


3



V317







Farbkarte #13

B.I.G.

: Σὺν Θεῷ
 ΟΡΘΟΔΟΞΙΑ ΠΙΣΤΕΩΣ
hoc est,
 ΤΙΟ SANÆ DOCTRINÆ
 DE
ΥΠΟΚΡΙΤΙΚΑΕ FIDEI
ΠΡΑΓΜΑΤΟΓΝΩΣΤΕΥΤΑΤΕ,
Quam
 CONSENSU
 Magni DD. Theologorum Collegii
 celeberrimæ Witteberg. Academiæ
Sub
 PRÆSIDIO
Magni Reverendi Amplissimi, Excellentissimi
ac Praclarissimi,
JOHANNIS HÜLSEMANNI,
 Doctoris ac Professoris in inclyta hâc
 Universitatē, Dni. Præceptoris Fautoris ac Pa-
 tris sui magni æternùm magnificiendi.
Publico Examine subicit
HACKMAN Otterndorpio Hadelens.
 IN AUDITORIO MAIORI
d. 1. Augusti.

WITTEBERGÆ
 JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.
 Anno M DC XXXIX.

